22
6
2

H
4. 26

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark
MINGONI, G.

Sed nec Medici , nec Imperatores , nec Oratores, quamvis artis præcepta perceperint , quicquam magna laude dignum ſine uſu , & exercitatione conſequi poſſunt.

*Cic. de Offic. Lib. I. Cap. XIX.*

ILLUSTRISSIMIS ATQUE EXCELLENTISSIMIS VIRIS

# ANDREÆ QUIRINO
# HIERONYMO GRIMANO
# SEBASTIANO FOSCARENO EQ.

## TRIUMVIRIS LITTERARIIS

TOTIQUE EORUM ORDINI PRÆSTANTISSIMO

JOSEPHUS MINGONI
F.

*SEreniſſimam Veſtram Rempublicam cæte-rarum ſapientiſſimam reputari nil mirum ; quidquid enim decernitis , tanta prudentia facitis ,*

*ut ſola conficiendarum rerum contemplatione executionis futuros effectus cognoſcatis. Si ex parvis magna concludere liceret, id ſatis iſtarum Thermarum exemplo evinceretur. Ex quo enim Thermæ neglectæ hominum incuria, & temporis injurijs obſoletæ, dirutæ, abjectæ, imperitorum manibus, & ruſticorum improbitati relictæ, ampliſſimo S. C. X. Kal. Sextilis MDCCLXVII. in Veſtram tutelam traditæ ſunt, celebritate, & frequentia adeo increverunt, ut ad eum ſplendorem proxime accedant, quem habebant veterum Romanorum tempore; nec dubitari poteſt, ſi a præteritis futura arguamus, quin Vobis Præſidibus atque Patronis anti-*

*quam celebritatem tanto ſuperaturæ ſint, quanto ſapientius eſt Veſtrum antiquo illo Romano Imperio. Inter cætera quæ ad Thermarum illuſtrationem facientia ſapientiſſime ſtatuiſtis, & illud quoque ſancitum a Vobis eſt, & S. C. Kal. Febr.* MDCCLXXI. *confirmatum, colligendas eſſe a me præcipuas eorum morborum hiſtorias, qui thermalibus remediis quotannis tractantur, ex quarum collectione, & quadam veluti ſerie, Medica Thermarum Patavinarum Hiſtoria efformaretur. Sed cum traditi hujuſce mihi muneris ea ſit natura, ut in infinitum produci etiam poſſit, ne videar Veſtris juſſibus, & meis officiis quoquo modo defuiſſe, omnes meas*

*ob-*

*obſervationes Medico-Practicas quoad Medicum Thermarum uſum in Centurias ideo dividam, ut una completa publici juris fieri ſtatim poſſit; idque eo etiam conſilio feci, ut ſi quid utilitatis ex hiſce obſervationibus manare poſſit in humanarum ærumnarum auxilium, & Thermalis Medicinæ incrementum, ne diutius protraheretur. En igitur Centuria prima in lucem exit, quam Vobis veteri formula Do, Dico, Dedico; Veſtra eſt enim, Veſter ſum ego, Veſtra materies. Primordia utiliſſimæ rei renaſcentis ſub auſpiciis Veſtris feliciſſimis affero, ſed ipſa per ſe exigua ſunt, nec Majeſtati tanti Magiſtratus paria, neque ego ingenio ita valeo,*

ut

*ut rei naturam mutare poſſim, & de parvis, ut dicitur, magna facere. Quod unum potui, curavi certe totis viribus, & curaturus ſum impoſterum, ut meam ſin minus doctrinam, & ingenium, quæ ſentio quam ſint exigua, at diligentiam certe, ac promptum, & ſupra vires paratiſſimum parendi deſiderium vobis probarem, quo hoc qualecumque demum ſit, quod Vobis Senatoribus Ampliſſimis inſcribitur, Veſtra auctoritate, & gratia non prorſus indignum prodiret. Quod ſi opus hoc Veſtro, & Auguſti Senatus juſſu ſuſceptum, & in hac prima parte completum Triumvirali Veſtra auctoritate ratum facitis, videor mihi univerſa, & ſingula Magnorum*

*Virorum ſuffragia obtinuiſſe, & laborum meorum fructum uberiorem, quam qui percipi poſſit, deguſtaſſe.*

*D. Patavio Kal. Martij MDCCLXXV.*

ME-

# MEDICIS ET CHIRURGIS
## BENIGNE LECTURIS
# PRÆFATIO.

QUæ duo Medicinam Practicam promovere plurimum poſſunt, ea ſunt a quibus ipſa artis rudimenta provenerunt, obſervatio, & experientia; quarum alteram Medici ſummopere jactitant, alteram profitentur. At, ſi mihi Hippocratis, & paucorum aliorum libri excipiantur, ex cæterorum Medicorum obſervationibus & experimentis plus damni, quam utilitatis in Artem noſtram irrepſiſſe fatendum eſt. Quod ſi cui paradoxum videri poſſit, ſecum reputet velim, quam pauci ſint Auctores, qui obſervationes, & experimenta inſtituant juſta methodo, proba fide, & mente ab omni præjudicata opinione libera. Hinc per eos non ſolum non expurgatur Ars ab errorribus, ſed confirmantur errores

 ipſi,

ipſi , vel novi intruduntur. Veritatem quærere , vel exponere ſe profitentur omnes , ſed plerique operam perdunt proprijs præjudicatis opinionibus comprobandis , & imaginariis principiis ſtatuendis unice intenti. Hinc tot Syſtematum ortus , phaſes , eclypſes , interitus , ſucceſſiones. Hinc morborum , cauſſarum , effectuum explicationes tam variæ , tam ſæpe contrariæ. Hinc medendi præcepta in uno eodemque morbo tam multiplicia, tam diverſa , tam ſæpe contraria : hinc repetenda tot remediorum fata , & criſes , quorum celebritas deliqueſcere viſa eſt , aliorum apparitione. Si tamen horum omnium Auctores audias , uno ore omnes edicunt , ſe Obſervationem ſecutos eſſe , & Experientiam. At quam Obſervationem , quam Experientiam ? non eam certe quæ ad naturæ leges inveſtigandas , & phænomenorum rationes intelligendas conducit , ſed eam quæ ad factiones ſuſcitandas, ad quæſtiones futiles expendendas, & ad humanæ mentis deliramenta ſub veri ſpecie evulganda, & veritatis colore obducenda inſtituitur. Aliud præterea damnum in Artem noſtram derivatum eſt a Chemia, vel ut melius dicam a Chemiæ abuſu. Quantum enim

b com-

commodi Praxi Medicæ præſtitit Chemia pharmaca rite contrahendo, concinnando, acuendo, aut alio quocumque modo in ægrotantium auxilium, aut voluptatem immutando, tantum attulit & detrimenti cum ad morborum theoriam Medici, alioquin peracuti, Chimica accomodarunt principia, & nulla practica obſervatione ex remediorum principiis componentibus per ſolas vulgares analyſes indagatis, ipſorum medicas facultates determinarunt; parum animadvertentes per chimicas analyſes ſtatum corporum tantummodo poſt eorum deſtructionem patefieri, multa de novo in ipſis operationibus generari, multa exaltari, quæ prius erant depreſſa, multa deprimi quæ erant exaltata, multa quæ inerant aut penitus a corporibus eliminari, aut adeo volatilia reddi, ut nullo modo fieri poſſint ſenſibilia. Quam ſæpe remediorum effectus omnino contrarii obſervantur principijs per vulgares analyſes patefactis! Exiſtunt enimvero frequenter in mixtis præter illas craſſiores particulas, quæ in partes noſtri corporis ſenſibiles ſenſibiliter agunt, exiſtunt inquam tenuiſſimæ aliæ particulæ, quarum actio vehemens in ipſos ſpiritus e-

xercetur , unde enormes aliquando excitantur perturbationes in corpore , quarum materialis cauſſa aciem , & diligentiam Chimicorum perfectiſſime eludit. Forgenſes , & Paſſienſes aquæ ex Cl. De La Metrie eadem oſtendunt compoſitionis principia : at quanta diverſitas in ipſarum effectibus! Primæ ſunt purgantes, quamvis Chemia quidquam purgantis principij nunquam inde elicere potuerit. Innumeræ fere plantæ natura , & facultatibus adeo diverſæ per ſiccas evaporationes eadem propemodum oſtendunt principia , dum in praxi frequentiſſime utimur alijs ad aliarum vires moderandas , aut infringendas. Quorſum hæc? ad probandam fortaſſe Chemicarum cognitionum in Medicina inutilitatem ? Minime certe. Quin libentiſſime aſſero Chemicis cognitionibus perfectum Medicum carere non poſſe , ſed inſuper fatendum cenſeo , ſola Chemica experimenta ſine Practicis obſervationibus facere quidem , ſed ſufficere minime poſſe ad ſtatuendas remediorum vires , & proprietates. Dolendum eſt cum Boerhavio (*a*) Medicos ab eruditione inſtructiſſimos tam raro perſpexiſſe penitius Chemi-



(*a*) Elem. Chem. Part. altera.

ca , & Chemicorum peritiſſimos ſæpe vix calluiſſe medica ſummo ſane nobilium Artium malo. Peſſime fallimur ſi omnia quæ ad Medicinam pertinent ſola Chemia explicare credimus , & æque erramus ſi omnia ſine Chemicis explicare contendimus.

Sapientiſſime idem Boerhavius (*a*) *dum praxim exercebat maxime optabat illos tandem Auctores noſſe qui fida morbis examuſſim deſcriptis remedia exhiberent*. Quid ſibi volebat Magnus vir per illa verba *morbis examuſſim deſcriptis*, niſi exquiſitas, exactas, ingenuas morborum, ipſorumque omnium phænomenorum obſervationes ? *Per fida remedia* non ea intelligebat, quæ vanitatis, novitatis , ſingularitatis , aut factionis gratia præſcribuntur, ſed quorum vires præcipuæ , & conſtantes proprietates frequenti uſu , & rationali diuturna praxi medica probe perſpectæ ſint. At implicata nimis , nimiſque longa eſt Ars Medica , ut unus & idem Medicus de morbis ſingulis inſtituere poſſit hujuſcemodi obſervationes , & de ſingulis remedijs huiuſcemodi experimenta , ſive ut melius dicam , practicas demonſtrationes. Si quod accura-

(*a*) Differt. de Lue Aphrodiſ.

ratiſſimi Chirurgi facere ſolent, nimirum, ut aliquos tantum morbos ſibi ſeligant manu medendos, in ijſque ſolummodo verſentur, hincque ob frequentem, peculiaremque exercitationem reliquis in ea ſola Chirurgiæ parte præſtantiores evadant, idem facere poſſent & Medici, haberemus facile diſtinctas, exactas, juſtas ſingulorum morborum obſervationes, convenientiumque remediorum fida experimenta; atque ex horum omnium veluti membrorum collectione perfectum Univerſæ Medicinæ corpus conſtaret. Medico-Practicas obſervationes, atque experimenta ego quoque nunc expono, quibus an quorundam morborum, & quorumdam remediorum perfecta cognitio haberi poſſit, aliis judicandum relinquens, quomodo ad ea me præſtiterim nunc ſubijciam.

Jam ab anno hujus ſæculi MDCCLVI. dum Medicinam in Patria ita facere inciperem, ut neque mediocris ægrorum copia, neque quædam felicitas, neque eximia Civium benevolentia juveni adhuc mihi deeſſet, miratus ſum valde Thermas noſtras antiquis temporibus ſummopere celebratas, adeo obſoleviſſe, ut partim ipſarum ruinis, partim adminiſtrantium ruditate, im-

pro-

probitate, & ignorantia, partim rerum ad vitæ commoda, & ægrotantium auxilia neceſſariarum inopia, partim Medicorum neglectu, & inſcitia, pauci admodum invenirentur ægri, qui ipſas adirent. Adibant tamen etiam e remotiſſimis regionibus nonnulli, & quotannis aliquæ obſervari poterant mirabiles difficilium, & deſperatorum morborum curationes. Quod cum mihi non ſemel animadvertere contigiſſet, operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi totis viribus eniterer rem tam pulchram, tam utilem e tenebris, atque oblivione in quibus jacebat, quo modo poſſem eruere, atque illuſtrare. Quapropter Montis Ægrotorum Thermas, ut quæ omnium optimæ vulgo habebantur ( quemadmodum etiam in praxi poſtea expertus ſum ) pretio conduxi, earumque ædes vetuſtate, & incuria partim collabentes, partim collapſas, meliori quo potui modo, reparandas curavi. Quotannis opportuna tempeſtate ipſas adibam, ibique immorabar, atque in ægrorum frequentia, quæ quotidie augebatur, commode morborum, & remediorum phænomena omnia obſervare potui, & notatu digna adnotare. Quæ & quot falſa, abſurda, morbis

con

contraria , rationi oppoſita , ſuperſtitioſa , crudelia obſervaverim , eademque uſu ac conſuetudine , imperitorum , improborumque balneatorum impudentia confirmata , neque ulla ratione , aut conſilio eradicanda , vix credibile videretur. Ex Medicorum vero præſcriptionibus non paucis , aut minime idoneis, aut minime proportionatis quoad doſim , tempus , ſpeciem , aut modum thermalium remediorum , plane agnoſcebam quam imperfecta , & manca eſſet apud pleroſque Medicos iſtarum Thermarum cognitio. Ita ſine oſtentatione , aut alicujus injuria meum conſilium , & operam medicam ægris præſtabam , medicationes multas vel augebam , vel mutabam , vel moderabar , prout morbi , & accidentia requirere videbantur in ægrotantium utilitatem.

Duodecim annis ſic peractis cum ſine Publica auctoritate tot impedimenta ad harum Thermarum incrementum removeri minime poſſent , non defuit AUGUSTI SENATUS VENETI Clementia , atque Munificentia qui hujus Civitatis preces benigne exciperet , & Patavinas Thermas publico patrocinio donaret. Itaque Ampliſſimo , & de me honorificentiſſimo S. C. x. Kal.

Sext.

Sext. MDCCLXVII. in SENATUS tutelam receptis Thermis, aggerum, & viarum reparationibus præſcriptis, poſſeſſoribus ædium thermis inſervientium ad earum redintegrationem illectis, expenſarum modis taxatis, & aliis multis in ægrorum commodum, & utilitatem ſancitis, me quoque ſtipendio, & Pub. Thermarum Profeſſoris titulo ipſis præfecto, ſtipendio etiam ei qui hiſtoriam conſcriberet aſſignato, tota hæc materies TRIUMVIRIS LITTERARIIS demandata eſt, qui quotannis de Thermarum ſtatu ad SENATUM referant.

Tot & tanta tam brevi tempore a TRIUMVIRIS Sapientiſſimis ad Thermarum incrementum promovendum utiliter decreta ſunt, ut citiſſime increſcere viſa res ſit, & contubernia de novo conſtructa una cum veteribus vix ſufficerent ad continendam ægrotorum undequaque confluentium copiam. In tanto igitur ægrorum numero, vaſtiſſimus mihi campus ſeſe offert quotannis ea obſervandi, quæ nunquam antea exacte obſervata ſunt, omneſque, & ſingulos Thermarum effectus in morbis natura diverſis experiundi, unde infinitæ propemodum enatæ ſunt mihi obſervationes, quarum quæ

præcipuæ ſunt , & ad promovendam Thermarum doctrinam aptiſſimæ , clare , fuſe , nitide , ſine fuco , nec inutilibus quæſtionibus , in publicum proferam , per Centurias diſtributas , ut citius evulgentur. Ex quo enim munificentiſſimo S. C. Kal. Februarij MDCCLXXI. injunctum eſt mihi munus Hiſtoriam Medicam Thermarum conſcribendi , neque melius , neque citius officio ſatisfacturus mihi viſus ſum , quam ſi mearum obſervationum Centuriam ſtatim in lucem emitterem. Quæ quidem licet omnes morborum ſpecies , aut non comprehendat , aut quaſdam non ſatis illuſtret , ubi tamen cæteræ , quas inſequentibus annis , DEO dante , & mea non ſatis firma valetudine concedente , evulgaturus ſum, ſuperadditæ fuerint , abſolutus hujus Medicinæ Thermalis tractatus habebitur. Excipite igitur , Benigno animo meos hoſce labores , ſin minus eruditione , & doctrina, at diligentia , ſtudio , veritate , utilitate non improbandos , & quotannis rurſum a me ſimile aliquod expectate. Valete.

IN-

# INDEX MORBORUM

*Quorum habentur Obſervationes in hac Centuria Prima.*

## MORBI UNIVERSALES.

CAchexia. pag. I.
Febris lenta continua in hecticam prona. III.
Obeſitas excedens. V.
Rachitis. X. XIV.
Scorbutica affectio cum paralyſi ſymptomatica. XV.

## MORBI CAPITIS ET NERVORUM.

Amauroſis cum pupillæ paralyſi. XXIII.
Apoplectica affectio a nimio coitu. XXIX.
Apoplexia levis a nimio balnei calore. XXXI.
Atrophia & ſemiparalyſis in crure. XXXIII.
Gingivarum decorticatio cruenta. XLVIII.

Hemicrania XLIX.
Hemiplegia. XXXVIII. XLII. XLV. XLVII.
Ophtalmia recidiva. LI.
Otalgia. LIII.
Paralyſis ab internis cauſis. LIV. LVI. LIX.
Paralyſis in manu. LXIII. LXVII.
Paralyſis poſt Mercurij ſublimati uſum. LXVIII.
Paralytica Veſicæ affectio Nephritidem mentita. LXXII.
Surditas adventitia. LXXVIII.
Surditas a Nativitate. LXXX.
Viſus hebetudo. LXXXII.

## MORBI PECTORIS.

Aſthma humidum. LXXXIV.
Hæmoptyſis. LXXXV. LXXXVIII. XCI.
Pulmonis laxitas & debilitas a ſuppurata pleuritide. XCIII.
Pulmonis laxitas phtiſim mentita. XCV.

## MORBI INFIMI VENTRIS.

Ani procidentia. XCVII.
Colica recidiva. C.
Diabetes. CI.
Diarrhæa recidiva. CIII.
Dyſenteria. CV.
Fluxus hepaticus. CVI.
Hemorrhoides cæcæ. CVIII.
Hydrops anaſarca. CXII.
Hydrops aſcites. CXIII. CXIV.
Icterus ab hepatis obſtructione. CXVI.
Lienteria. CXVIII.
Lithiaſis. CXIX.
Nauſea & Vomitus. CXXI.
Stranguria. CXXII.
Tumor ſcirrhoſus Abdominis. CXXIII.

## MORBI MULIERUM.

Clavus hyſtericus. CXXIX.
Fluor albus cum maraſmo. CXXXII.

Fluor

Fluor albus, ſive gonorrhæa vera muliebris. CXXXIV.
Fluxus menſium immodicus. CXXXV.
Menſium ſuppreſſio cum hydropis ſuſpicione. CXXXVIII.
Vaginæ & pudendorum laxitas nimia. CXLI.
Vaginæ procidentia a partu difficili. CXLII.
Vaginæ procidentia in Virgine. CXLIV.

## MORBI VENEREI ET GENITALIUM.

Dolor gallicus ad femur. CXLVI.
Gonorrhæa vera a gonorrhæis virulentis orta. CLI.
Gonorrhæa virulenta. CLII. CLV.
Gummata gallica. CLVII.
Impotentia virilis. CLXI.
Lumbago a coitu. CLXIV.
Paralyſis a manuſtrupratione. CLXVI.
Sarcocele. CLXX.
Scabies celtica. CLXXII.
Seminis morboſa ejectio. CLXXVII.
Sterilitas, & Scorbutus. CLXXX.

## MORBI CUTANEI.

Elephantiaſis. CLXXXIII.
Eryſipelas. CLXXXVI.
Gutta roſacea. CLXXXVII.
Herpes Eſthiomenos. CLXXXIX.
Herpes miliaris. CXCI.
Scabies. CXCIII.

## MORBI OSSIUM, ARTICULORUM, ARTUUM, ET MUSCULORUM.

Ancyloſis in genu. CXCV. CXCVII. CCI.
Ancyloſis in genu equino. CCIII.
Artritica affectio. CCVII.
Cancer. CCX.
Dolor & tumor perioſtij Tibiæ. CCXI.
Dolor Femoris acutiſſimus ab externa cauſa. CCXVII.
Fungus. CCXIX.
Humeri ad luxationem proclivitas. CCXXII.
Iſchiadicus dolor inveteratus. CCXXV.

Lum-

Lumbago. CCXXVII.
Lumbago rheumatica. CCXXIX.
Œdemata pedum, crurumque. CCXXXI.
Perniones. CCXXXIII.
Podagra recens. CCXXXVII.
Rheumatici humoris ad ſemur decubitus. CCXXXVIII.
Rheumaticus dolor ad ſcapulam. CCXLIV.
Rheumatiſmus a partu. CCXLVI.
Rheumatiſmus cum morbis gallici ſuſpicione. CCXLVIII.
Rheumatiſmus inveteratus. CCLVI.
Tumor ſupra ſternum. CCLVIII.
Variolarum ad genu decubitus. CCLX.
Ulcus antiquum. CCLXIV.

OB-

# OBSERVATIONUM MEDICO-PRACTICARUM CIRCA MORBOS PATAVINIS THERMIS TRACTATOS

## CENTURIA PRIMA.

### *MORBI UNIVERSALES.*

## OBS. I.

### *Cachexia.*

Pallido plumbeo colore, ſubtumida facie, palpebris pedibuſque oedematoſis, ex levi motu diſpnæa, totius corporis laſſitudine, præcordiorum anxietate ad Patavinas Thermas pervenit calidiſſimo anni tempore quadragenarius Nobilis vir Germanus Jo: Fiſter. Ab nimiis lucu-

brationibus, & ab immodicis hæmorrhoidalibus excretionibus ortum traxerat inveteraſcens morbus, cui evincendo validiora, & diuturna quæcumque remedia imparia fuerunt. Incrementum quotidie magis ſuſcipiente morbo de proximo hydrope metuebatur. Ægrum ſic tractavi. Inſtituto prius boni ſucci victu calefaciente, aromatibus moderate condito, & exſiccante, interdictis omnibus lentis, frigidis, craſſis, & difficulter digerendis, uſum aquæ B. Virginis, ſive Montis Ortoni in trium librarum doſi præſcripſi. Huic aquæ quaternis diebus ſequens pulvis in primo poculo immiſcebatur.

℞. Tart. Vitriol. Sc. 1.
Sal. Abſint.
Croc. Mart. aper. aa gr. x. M.

Poſt duas horas potum Caffè ſumebat cum pane biſcocto, inde in calidiſſimum balneum deſcendebat ad ingulum uſque. Hora a prandio quinta in Hypocauſto ſedebat per horæ dimidium.

dium. Mirum certe mihi viſum eſt a tanta ſudorum copia non ultro debilitari debilitatum corpus. Summopere alvum ciebat epota thermalis aqua, copioſæ quoque erant urinæ, craſſæ, & ſedimentoſæ. In balneo, & Hypocauſto augebatur parumper dyſpnæa, non tamen adeo ut progredi non poſſet medicatio. Hæc quotidie agebantur. Poſt duodecimam diem levitatis ſymptomatum, & conferentiæ manifeſta indicia apparuerunt. Curationem uſque ad quadrageſimum diem produxi tanta fortuna, ut Æger integre evaſerit.

## O B S. I I.

### *Febris lenta continua in hecticam prona.*

DIvitis Mercatoris filius, gracilis, bilioſuſque adoleſcens deperdite plebejam puellam invitis parentibus diligebat, & multo tempore lenta continua febre tenebatur. A præclaro Medico per multos menſes tractatus fuit,

ſed fruſtra. Febris conſtanter perſiſtebat, quin etiam extenuabatur corpus, infirmabantur vires, deficiebat appetitns, pallidior evaſerat facies. Cæterum ſomni erant longi & profundi, in capite nulla moleſtia, in abdomine nullus tumor, nulla gravitas, aut diſtenſio, in thorace ſi tenuiſſimam excipias ſpirandi difficultatem, nullum ægritudinis ſenſum habebat. Nihilominus propter corporis gracilitatem & extenuationem, virium imbecillitatem, & faciem ad Hippocraticam vergentem hecticus a multis reputabatur. Hyeme veris adventum anxius expectabat, a quo ſalus promittebatur: ſed toto vere perſiſtente febre ſpes ad æſtatem delata eſt, quæ nullo ſolatio, majori virium proſtratione ægro fuit moleſtior, ob id maxime quod nocte colliquativi ſudores circa pectus, & caput apparerent. Meo conſilio ad Montis Ortoni fontes translatus eſt, ibique aquam B. Virginis quotidie mane ſumebat trium librarum pondo, quibus una libra lactis vaccini recenter emuncti addita eſt. Duabus horis ante occaſum ſolis in balneum ſe injiciebat ad

jugulum uſque, non ultra horæ dimidium. Balnei calor exacte talis erat, qualis lactis nuper emuncti eſſe ſolet. Poſt decimum quintum diem evanuit omnino febris, vires erigebantur, non reſpuebatur cibus. Ad finem menſis in medicatione inſumpti diſceſſit Adoleſcens valde mutatus ab eo qui venerat; nimirum ſatis nutritus, robuſtus, vividi coloris, & famelicus.

In hac chronica, difficilique ægritudine pari lance rependerem & thermalis aquæ, & lactis, & mitiſſimi balnei vires: Ea omnia ſimul conſociata diuturnum morbum profligare potuerunt; ſingula ſejuncta fortaſſe non potuiſſent. Contuliſſe etiam multum huic ſanationi cenſeo longam ab amata puella abſentiam.

## O B S. III.

### *Obeſitas excedens.*

SAcerdos probus Nicolaus Camiſotti Adriaticus ad conſiſtentem ætatem cum perveniſſet in tantam obeſitatem incidit, ut vaſtæ

fe-

ferendæ moli crura vix ſufficere viderentur. Tantam pinguedinem neque antea, neque popoſtea mihi contigit unquam videre. Quod maxime miratus ſum, crurum gracilitas longo, latoque corpori non reſpondebat. Appetitus ultra modum vigebat, eique potius indulgens erat Sacerdos: vividus color, & ad ſanguineum vergens erat: ſomni profundi, & protracti, optima digeſtio, animus hilaris. Aquæ potum, aut vini aqua mixti cum ferre non poſſet, puro vino utebatur; ajebat enim ab aqueis potionibus multas ſibi in abdomine cruditates generari, graveſque in mingendo difficultates, & moleſtias pati. Quod non adeo improbabile mihi videbatur: ſi enim tanta pinguendinis copia obruebantur renes, quæ ad externam reſponderet, majori certe ſtimulo quam aqueo indigebant renales glandulæ, & tubuli ſi officio ſuo rite fungi deberent. Medicis ſe tradidit, ut regimine, & pharmacis immenſum corpus extenuarent, ſed ab exhibitis evacuantibus remediis incrementum potius ſuſcepit corpus, quam decrementum; fibræ e-

nim

nim a remediorum viribus debiliores , & laxiores factæ ingruenti adipi ampliora ſpatia efformabant. Timore perterritus ne ſi adhuc increſceret pinguendo ſibi moriendum eſſet , Patavium ſe contulit Anatomicorum Principis Jo: Baptiſtæ Morgagni conſilium medicum imploraturus. Cum Vir incomparabilis , & prudentiſſimus Medicus ſumma ſagacitate tantam obeſitatem a ſola fibrarum laxitate repetendam eſſe judicaſſet , ad Montis Ægrotorum balnea miſit Presbyterum , ut pote quæ maxime idonea eſſent ad fibrarum tonum reſtituendum. Præmonuit hominem præterea ut quæcumque a me præſcriberentur , facere non omitteret. Thermalem aquam Montis Ægrotorum cum drachmis duabus eiuſdem ſalis mixtam prima die ad duas libras propinavi , unde tormina , & mejendi difficultas : ter ſubduxit ventrem : altera die , & tertia etiam eandem aquæ doſim ſine ſale exhibui , ſed ob maximas perturbationes quas in corpore ab hujuſmodi potu obſervavi , ab ea prorſus abſtinendum eſſe cenſui. Igitur ſolo balneo neque valde calido quotidie

bis

bis utebatur per horam : ſtatim a balneo per aliam horam lecto detinebatur. Sudabat valde non ſolum in balneo, ſed & tota die, tempeſtas enim tunc erat calidiſſima. Cæterum licet plurimum vigeret appetitus, medicis præſcriptionibus exacte obediens erat. Quindecim diebus balneis dicatis illud obtinuit ut veſtes unius pedis menſura ſtrictiores reddere debuerit, ſi jiſdem uti vellet. Qua die diſceſſit Patavj ad prandium me vocavit. Prandium erat huiuſmodi, ut non duobus, ſed ſex viris abunde ſufficeret. In ipſo accumbendi actu dixit, ſe perdurante thermali medela ab diætecis præſcriptionibus ne minimum quidem, me teſte, receſſiſſe, tandem vero curatione peracta licere ſibi quodammodo a ſevera victus ratione parumper recedere, medice enim vivere, eſſe miſerrime vivere. Receſſit enimvero a diæta, nam fere omnia quæ allata fuerunt devoravit. Ego vero ſpectator magis quam conviva fui, & cum ſermonem durante prandio de rebus ad cibos minime pertinentibus ſemper habuiſſem, non crediderat certe me ipſius inglu-

viem

viem animadvertiſſe. Demum finito prandio antequam diſcederem, optimum iter, & proſpera omnia ei deprecatus inſequenti anno me illum ad Montis Ægrotorum balnea reviſurum dixi: ipſe vero ſe impoſterum nullis remediis opus habiturum ajebat cum ſuam obeſitatem adeo imminutam obſervaret. At ego conſtanter aſſerui ſi quotidie eodem modo ſe haberet in prandio, ſicuti ea die, paucis menſibus fore ut thermis multo magis quam antea indigeret. Forte fortuna poſt tres annos eundem vidi Venetijs obeſum ut antea cuius rei cauſam me ſatis cognoviſſe arbitror; nam aut caprulæ nimis indulſit, unde rurſus adipoſa vaſa repleta ſunt, aut thermalis medicatio nimis brevis non potuit ſatis firmare vaſa, & fibras, ne accedentibus externis cauſis rurſus laxarentur, & infirmarentur. Quod ſi gulæ minus obediens fuiſſet, & inſequenti anno iiſdem balneis uſus eſſet, facile, credo, in moderata pinguendine permanſiſſet.

# OBS. IV.

## *Rachitis*.

NObiliſſimæ Venetæ Familiæ puer difficili partu natus eſt, & cruribus ita ad dorſum inflexis, ut binæ foveæ ad vertebrarum lumborum latera adhuc conſpicerentur cum quartum ageret ætatis annum. Eæ foveæ ab aſſidua preſſione utriuſque calcanei in utero materno erant efformatæ. Juncturæ omnes artuum, & præcipue inferiorum adeo deformabantur, ut ſi puer rectus ſuſtineretur externi malleoli in terram defigerentur. Machinulis, faſciis, loris a dexteritate experientiſſimi Chirurghi Veneti Cl. Menini ſuppeditatis ad quintum uſque annum nihil profectum eſt; non ſolum enim juncturæ ad naturalem ſtatum non accedebant, ſed muſcularibus viribus deſtitutus omnino puer, ſi vel minimum ſtare cogebatur, ſtatim collabeſcebat. Medicis igitur præſtantiſſimis in conſilium adhibitis thermalia luta propoſita ſunt, a quibus perfecta & cita ſana-

natio promittebatur. Meam quoque opinionem Nobiliſſimus ægri pueri Parens expetiit, qui cum puerum vidiſſem in juncturis adeo deformatum non ſolum a nativitate, ſed ab ipſo conceptu, acuto ingenio, capite magno, juncturis etiam artuum ſuperiorum, & maxime ad carpos præter modum tumidis, & dilatatis, pronunciavi ſtatim a lutorum uſu ſperari quidem poſſe Nobilem Puerum aliquale in artubus robur conſecuturum, ſed integram valetudinem, & perfectam partium deturpatarum conformationem obtinere, eſſe impoſſibile. Quare initio Menſis Julij Puero ad fontes Aponi translato, commiſſaque mihi cura, primum leniſſime calidum S. Bartholomæi lutum ad artus inferiores, clunes, & lumbos præſcripſi, progreſſu vero ad manus etiam, earumque carpos. Primis diebus a cæni odore, & calore tantus pavor in tenello ægrotante obortus eſt ut toto corpore contremiſceret, ploraret, clamaret, convelleretur, nec ſuſtinere emplaſticam illam medicationem ullo modo vellet. Nihilominus meis, & ſedulæ eius an-

cillæ illecebris aſſuevit thermali medelæ. Triginta horarum minutis quotidie lutatus ſummopere ſudabat. Die ſeptima lutum Aponi priori ſubſtitui, idque uſque ad decimum quintum diem continuatum eſt, copioſiori in dies manante ſudore. Juvamina quæ apparuerunt non tanti erant facienda ut ad producendam ulterius medicationem ſufficerent. Si enim hoc unum demas, quod cum ſtans ſuſtentabatur paulo ſerius ſolito procumbebat, vix aliud obtinuiſſe videbatur. Ideo Præſtantiſſimis eius genitoribus dixi conſecuta juvamenta huiuſmodi eſſe ut neque ad remediorum continuationem ulterius præſcribendam, neque ad majora juvamina deſperanda animum inducerent. Propterea ſi uſque ad medium Septembris melius ſe habere puerum animadverterent; non omitterent in autumno eandem medelam repetere. Igitur ad medium Septembris ad Aponum reverſus Puer aponenſia luta per quindecim itidem dies ſuſtinuit, quibus licet copioſius ſudaret, minor tamen erat virium infirmitas; idque a ſolo deficiente æſtivo calore

re-

repetebam. Per pauca minuta ſtare poterat ſine maxima difficultate. Venetijs per hyemem robuſtior ſenſim evaſit, ita ut deambulare potuerit, quamvis citiſſime fatigaretur, & facile caderet. Æſtate inſequenti ad eaſdem thermas rediit, ſimilique prioris anni methodo tractatus majus robur in artubus adeptus eſt, licet juncturarum deformatio parum in melius mutata fuerit. Multa in hoc morbo perpendenda ſe offerunt. Non enim a ſola rachitide omnia phænomena repetenda ſunt. Præter rachitidem & nativa partium deturpatio, & genitalis prava conſtitutio conſiderari merentnr. A rachitide, debilis, a prava conformatione monſtruoſa juncturarum ſtructura orta videtur. Potuerunt quidem luta fibris robur afferre, ſed nativam, & tempore confirmatam partium deformationem, præcipue in oſſibus immutare non valuerunt. Nihilominus nunc duodecimum circiter ætatis annum agens puer tantam in deformatis cruribus vim adeptus eſt, ut libere, diu, & ſine moleſtia deambulare poſſit.

OB-

# O B S. V.

## *Rachitis.*

Hieronymus Chiniſotti Vicetinus puer rachitide tam male tractatus fuit ut ad decimum ætatis annum cum perveniſſet femoris, genuum, & pedum juncturis mirum in modum deturpatis, oſſibuſque femorum, & tibiarum diſtortis, atque e naturali directione diſtractis, ligneis machinis ab utroque latere ſuffultus, ſi ambulare vellet, & difficillime poſſet, & maximo cum labore, & cita laſſitudine. Crus dexterum altero brevius, ſiniſtrum longius ultra modum apparebat. Clariſſimi Protomedici Hieronymi Treviſani Nobil. Patavini conſilio Aponum venit eo animo, non ut ad naturalem conditionem deformatæ partes reſtituerentur, ſed ut roboratæ lutorum uſu fibræ ad motus edendos aptiores efficerentur. Quare ad crus brevius luto S. Bartholomæi, ad cæteras vero partes luto Aponi adhibito per

duas

duas hebdomadas adeo profecit, copioſo manante ſudore, ut machinarum auxilio libere, & facile deambulare poſſet ſine ſubſequente fatigatione. Inſequenti anno eadem medicatione uſus robuſtior adhuc devenit, & non ſolum ( machinarum tamen ope ) ambulabat, ſed & celeriter currebat, & diutius, ſine moleſtia. Oſſium curvaturæ ad rectitudinem magis acceſſerunt, quod non ſolum remediorum viribus, ſed & corporis incremento tribuendum eſt.

## OBS. VI.

### *Scorbutica affectio cum Paralyſi ſymptomatica.*

MAtrona Nobilis Eliſabeth Bertogliatti, nata Comitiſſa Raſtrelli Petropolitana annorum fere viginti octo, per ſeptem annos ſcorbuto affligebatur, frequentiſſimo nativæ regionis morbo. Antiſcorbuticis vulgatis fruſtra adhibitis in Italiam longiſſimo, & laborioſo itinere ſe tranſtulit, & illuſtriorum Bononien-

ſium

ſium Medicorum ſolertiam exercuit. Præter ſcorbutica ſymptomata, paralyticæ etiam affectiones extenuatum corpus magno virium lapſu affligebant. Manus, pedeſque oedemate tumentes motu deſtituebantur, manente ſenſu. Opportuna medendi methodus per duos menſes adhibita, ſcorbutum quadantenus imminuit, nihil omnino paralyſim. In tanto valetudinis diſcrimine propter domeſticas viciſſitudines robuſto, iuvenique viro nupta eſt. A coniugio deterior factus eſt morbus. Tunc a Viris celeberrimis Molinellio, & Pirotio Patavinæ thermæ propoſitæ ſunt, in quo propoſito & a Cl. Chirurgiæ P. P. Hieronymo Vandellio, & a me confirmata eſt Nobilis Ægra. Circa finem Julij Menſis ad Montis Ægrotorum balnea pervenit eo adverſæ valetudinis ſtatu, ut non ſolum nihil ſperandum exhiberet, verum etiam multum timendum. Leniſſime ob magnam virium imbecillitatem tractandam mihi propoſui, & marito ſuaſi ne toto medicationis tempore cum uxore rem haberet; quidquid enim virium ſupererat vix ſufficere ad vitam

ſu-

ſuſtinendam, & remediorum vim tolerandam, & propterea maximam exiguarum virium habendam eſſe rationem. Hinc leniſſimam, licet longiorem medicationem inſtituendam eſſe peropportunum exiſtimavi, quam antequam deſcribam, Matronæ morboſum ſtatum exponam.

Corpus natura exile, morbo exiliſſimum factum ad Maraſmum vergere videbatur: cutis aſpera, nigricanſque, violaceis maculis hinc inde fædata, & minutis exiguis puſtulis ſanioſam materiem quandoque eructantibus, ſcabiemque mentientibus undique conſperſa, quæ puſtulæ ſi alicubi exſiccarentur deciduis cruſtulis evaneſcebant, rurſus paulo poſt vel in ijſdem, vel in proximioribus locis appariture: incurvatæ aduncæ, obſcuro-opacæ ungues: denſi, nigri, hirſutique pili: oculi gementes, & in orbita ſepulti, pulverulenti, triſtes: palpebræ oedematoſæ: dentes oblongi, nigri, fætidi, putreſcentes: gingivæ ex rubro lividæ tumentes, ad minimam duriorum corporum alliſionem ſanguinolentæ: manuum, pedumque oedema ad motus vel leviores increſcens, cum

motus deperditione. Caput aliquando vigilijs infeſtabatur, punctorijs doloribus frequenter, animi mærore frequentiſſime. In thorace præter præcordiorum anxietatem nihil mali apparebat. At de abdomine querelæ multæ. Menſtrui fluxus a multo tempore ſuppreſſi: proſtratus appetitus: alimentorum digeſtio tarda, & imperfecta, cum oris amaritie: aluus aliquando laxa nimis, aliquando conſtipata: urinæ vel aqueæ prorſus, & decolores, vel craſſæ, turbidæ, latericiæ: borborygmi frequentes, frequentes ad ambitum corporis dolores veluti rheumatici. Pulſus parvus, debilis, celer, non raro inæqualiter inæqualis, nunquam intermittens, ſæpe febrilis. Temperamentum ſulphureo-bilioſum, minima de cauſa excandeſcens.

Matronæ nobilis tam graviter, varie, multipliciter affectæ hæc fuit medicatio. Poſtero ab ejus adventu die aquæ B. Virginis libram unam cum dracmis duabus Magneſiæ albæ exhibui, quæ leniter primas vias expurgavit. Sequenti die lib. 1. §. ejuſdem aquæ ſumpſit, cujus maxima pars per urinam, reliqua per

alvum

alvum excreta eſt, ſine torminibus, neque majori appetitus proſtratione. Quotidie thermalis aquæ doſis ſex uncijs augebatur, donec ad lib. IV. perventum eſt. Hæc fuit ſumma doſis, quæ copioſe per alvum, & per urinas excernebatur. Balneis quoque Montis Ægrotorum, & luto S. Bartholomæi uti cæpit, & licet hæc non admodum calida eſſent, & alternis tantum diebus modo balneum, modo lutum adhiberetur, idque non omnibus ſimul artubus, ſed vel ſuperioribus, vel inferioribus, & per ſola triginta horæ minuta, nihilominus tanta ſudoris copia eliciebatur, ut ne in immodicam virium defectionem incideret Ægra, ab ijs per aliquot dies abſtinendum fuerit. Intercepto balnei, & cæni uſu non propterea ceſſabat ſudor, quin & alvi fluxus ſimul apparuit, urinæque copia magno cum virium lapſu. Etiam thermopotum interdixi, donec virium infirmitas, ſi fieri poſſet quodammodo tolleretur. Præter modo dictas evacuationes in univerſa fere cute puſtulæ ſolito majores, vel potius furunculi apparuerunt ſucceſſive, & ſuc-

ceſſive ad ſuppurationem perveniebant , comitante ſimul non exigua febri. Tunc oleo amygdalarum dulcium uti cæpit , & juſculis ſolis nutrientibus, & confortantibus nutriebatur; bolumque veſpere capiebat ex Elect. Diaſcord. Fracaſt., & confect. de Hyacinth. Mirum certe , & incredibile fere viſum eſt , e corpore adeo exinanito tantas , & tam diverſas effluxiſſe excretiones ; nam per integram hebdomadam ſingulæ evacuationes conſtanti impetu conſtiterunt ; paulatim poſtea imminui viſæ ſunt ; at cum animadvertiſſem ab ijs evacuationibus neque ſomnum , neque appetitum auferri , febremque ſedari , ut ad thermalium remediorum uſum rediret ſuaſi , eadem tamen blandiſſima methodo. Luto S. Bartholomæi poſt ſex lutationes illud Montis Ægrotorum ſubſtitui , cui poſt dies quindecim cænum S. Petri Montis Anionis ſucceſſit donec ad quadrageſimum diem perventum eſt. Quotidie evidentiora levaminis ſigna apparebant tum quoad vires , ſomnum , appetitum , tum quoad colorem , corporis nutritionem , & artuum pa-

ra-

ralyſim, reſoluto jam extremorum oedemate. Ita quinquageſimo die ab omnibus morbis quibus per tot annos tam crudeliter vexabatur, libera evaſit omnino.

In hac curatione id mihi obſervare contigit, quod nunquam alias vidi, nimirum ungues omnes ex uſu lutorum cæruleo-nigras apparuiſſe; qui color diu perduravit, & inſenſibiliter poſtea multo tempore evanuit.

Medicatione tanta fortuna peracta, cum loci ſitus Nobili mulieri maxime placeret, & aer conferret ſummopere, voluit adhuc immorari non ut mederetur, ſed ut ruſticaretur.

Præmonueram Matronam ante medicationis initium, ne in tanto virium lapſu rem haberet cum marito, ſed ipſa habere voluit, & habuit primis diebus. Quotieſcumque ægri ſaluberrima Medicorum conſilia contemnunt in maxima diſcrimina adducuntur. Sic mulier iſta medicationis tempore uterum gerebat, nec ſuſpicante quidem, aut minimum cogitante Medico. Paucis poſt quinquageſimum diebus mihi dicebat maritus ſe ea die habere certiſſimum

re-

recuperatæ uxoris valetudinis argumentum; apparuiſſe enim ajebat menſium fluxus, qui per tot annos integre erant ſuppreſſi. At incæptus fluxus poſt tantas excretiones immodicus nimis mihi viſus eſt: accedentibus præterea & animi defectionibus, & convulſionibus, & lumbagine, & doloribus qui ab utero ad inguina producebantur, exorta in me de imminenti abortu ſuſpicione, ſedulo ægram interrogavi an medicationis tempore de vetito a me fructu deguſtaſſet, quod cum ipſa ingenue non negaſſet, aucta in me ſuſpicio omnibus artis præſidijs abortum præcavere curavit, ſed fruſtra, nam eo devenerat mulieris conditio ut inſequenti die fætum fere bimeſtrem aboriretur. Enatæ poſt abortum convulſiones, hemorrhagia, & febris, deſtitutam viribus patientem in maximum vitæ diſcrimen adduxerunt. Remediorum auxilio ſervata quidem eſt Ægra, ſed impediri non potuit ne integro poſt abortum menſe in lecto detineretur. Convaluit tandem, & perfecte ſanata diſceſſit. Subſequenti anno ad Thermas, præſervationis gratia redire ſtatuerat,

rat, ſed uteri geſtatio impedimento fuit. Triennio elapſo Patavij me convenit, oſtenditque tres formoſos, robuſtoſque infantes quos poſt thermalem medicationem pepererat. Sic quæ ſemimortua, & ſterilis ad thermas pervenit, ſana & fæcunda ab ijſdem diſceſcit.

## *MORBI CAPITIS ET NERVORUM.*

## OBS. VII.

### *Amauroſis cum pupillæ paralyſi.*

FRanciſcus Planck Bohemus quadragenarius, bilioſæ temperiei, aduſtæque texturæ, vino & ſpirituoſis liquoribus ſic ſatis deditus, ut & corporis validis exercitationibus, e patrio ſalubri cælo Tergeſtum migravit, quo munus ſuſtineret æconomiæ ærrarij militaris. In hoc igitur exacte exercendo munere diu noctuque mentem intendebat in calculis conficiendis, & rationibus ſupputandis, in maritima, & ventoſa Civitate, ſedentarie ut plurimum virens.

Bien-

Biennino ſic ſatis tranſacto, debilitatem viſionis in altero oculorum, in altero vero cæcitatem animadvertere cæpit; quarum utraque in dies increſcens ſenſibilior evaſerat. Ab Chirurgis varia præſcripta ſunt collyria, quibus nihil proficientibus utrumque oculum Cataracta obvelari aſſeruerunt. Eo ferme tempore Tergeſtum adierat Cl. Chirurgiæ P. P. Hieronymus Vandellius, ut Tergeſtenſi Epiſcopo cataractas deprimeret; quod cum eximia dexteritate, & feliciſſimo eventu perfeciſſet, Patavium jam redierat. Celebritas eximij Profeſſoris Bohemum Tergeſto Patavium compulit ad cataractæ operationem ſuſtinendam. Sed cum peritiſſimus Artifex patientis oculos inſpexit, eos non cataracta laborare aſſeruit, ſed Amauroſi, & pupillæ paralyſi, morbo nempe niſi prorſus inſanabili, longo certe, & difficillimo: nihilominus ad Montis Ægrotorum thermas miſit afflictum ægrum, ut præſcripta medicatione uti poſſet.

Ut vidi hominem fortaſſe plus quam par erat ſperantem, admonui me nullam uſque ad

id

id temporis habere obſervationem ejuſmodi morbi thermalibus remedijs ſanati. Obijciebat Æger a ſimili morbo & Legatum Marsy Germanum ſanatum fuiſſe conſilio celeberrimi P. P. P. Alexandri Macoppe, quam ſanationem revocante me in dubium, & aſſerente morbum Nobilis illius Germani politicum potius, quam phyſicum a multis tunc fuiſſe judicatum, moderata ſpe, multaque patientia medicæ præſcriptioni ſe præbuit probus Vir ſequenti modo. Poſtridie Idus quintilis purgato prius corpore tres libras aquæ B. Virginis cum guttis aliquot ſpiritus ſalis dulcis ſumpſit, quæ doſis una libra ſingulis diebus aucta, ut ad quinque librarum pondus pervenit quotidiano uſui inſerviebat, poſtremis vero curationis diebus tantum imminuebatur, quantum primis aucta fuerat. Stillicidio inſuper aqua Montis Ægrotorum calente parato bis quotidie horæ ſpatio utebatur, ſupra oculos, frontem, ſupercilia, ſinciput, curans etiam ut cadentis aquæ guttæ aliquæ in oculos immiſſæ albugineam alluerent. Poſt aliquot dies libra una

ſanguinis e jugulari detracta eſt. Aqua B. Virginis & ventrem quotidie, & copioſas urinas ciebat: ſtillicidium vero ſudores maxime circa caput promovebat; & cum ſibi perſuaderet patiens tanto magis profuturum ſtillicidium, quanto eſſet calidius, adeo calidiſſimo utebatur, ut poſt hebdomadam cutis frontis exuſta pellem aſſati pulli perfectiſſime æmularetur. Sexta medicationis die lætus ovanſque mihi narravit ſe eo mane dum in lecto adhuc eſſet clauſis feneſtris, lumine per ſolas fiſſuras prorepente, infirmiori oculo tantum aperto, alteroque probe clauſo magnitudinem & figuram pictarum tabularum quæ muris erant appenſæ percepiſſe. Quod cum mihi & propter morbi indolem, & propter medicationis brevitatem impoſſibile videretur, ardenti ſanationis deſiderio, & illuſæ imaginationi tribuendum cenſebam: nihilominus facti veritatem eruere volens, oculum minus affectum claudi juſſi ſuperimpoſito linteo, altero vero aperto, cum veſte varij coloris indutus eſſem, hic atque illic ſupra veſtem apponens digitum ab eo ſci-

ſci-

ſcitabar cujus nam coloris eſſet is locus quem digito tangebam, & cum recte ſemper multis hujuſmodi interrogationibus reſpondiſſet, obſtupui, tam brevi tantum profeciſſe. Alacri igitur animo in propoſita curatione perſeverans, in dies melius ſe habebat. Sericeam telam viridis coloris ante oculos ferebat, ut ipſos a nimia luce tutaretur, & in cæterarum rerum regimine temperatiſſimus erat. At cum in Montis Ægrotorum vicinia propter fæſtum S. Bartholomæi nundinæ eſſent ad thermas S. Bartholomæi, eaque die ruſtici, ruſticæque promiſcue in thermali fonte, qui in Eccleſiæ conſpectu ſitus eſt ridiculo ſane, nec ſatis modeſto ſpectaculo ad abdomen uſque, fortaſſe & altius denudatis cruribus ſeſſe pietatis ſuperſtitione immergerent ( diceret rurſus Lucretius

*Tantum Religio potuit ſudare malorum* )

me diſſuadente, invito, & male ominante voluit Germanus huic ſpectaculo intereſſe. Quare equum aſcendit calidiſſimi diei calidiori horà, iterque per montem ſuſcepit, ſolaribus radjis fere rectis capite continuo ſubjecto. Ad Tem-

plum S. Bartholomæi æſtuans, & ſudore diffluens pervenit, ibique immoratus ſuſceptum calorem ſuccoſis refrigerantibus fructibus temperavit. Veſpere adventante, alia longiori via domum redijt, quæ Medoaco flumini paralella, propter curruum, & brutorum ad Batalleæ nundinas affluentium copiam tota erat a longa ſiccitate denſiſſimo pulvere referta. Itaque ſive ab inſolatu, ſive a ſudore reſorbto, ſive a pulvere in oculos ingruente, ſive a frigiditate, & humiditate veſperis, & fluminis concepta poſt enormem totius corporis incaleſcentiam, poſtero mane cæcus uti prius devenit. Mæſtum plorentemque fruſtra pertinaciæ pænitebat. Medicatione uſque ad quadrageſimum quintum diem prorogata, & ſetaceo in collo ſub occipite inſtituto ad eum valetudinis ſtatum revocatus eſt, in quo erat pridie fæſti S. Bartholomæi. Abijt lætus æquali conſtanti recordatione & thermalis ſtillicidij grata, & fæſti S. Bartholomæi injucunda.

OBS.

# OBS. VIII.

## *Apoplectica affectio a nimio Coitu.*

BEne conſtitutus tum quoad ſolidarum partium fabricam, tum quoad humorum craſim Nobilis Vir, proſpera ſane, & conſtanti valetudine trigeſimum quintum ætatis annum agebat. Eo tempore ultra modum amaſius, venuſtæ cujuſdam mulieris illecebris captus, ipſam deperibat, atque in eius amplexibus plus quam ætas, viriumque robur permitterent colliqueſcebat. Fractis inde viribus quadam veluti apoplectica acceſſione extemplo correptus fuit, qua ſenſibus internis, externiſque deſtitutus, motuque omni voluntario privatus eſt. Venetorum Medicorum peritia eo Nobilem Virum redegit ut reſtitua locutione & e lecto ſurgeret, & leviter, breviterque deambularet. At torpore in muſculis relicto, langueſcente appetitu, male digerente ventriculo, labefactata memoria, vertiginibus, & ſcotomijs frequenter recurrentibus ad ſubeunda quæque

vi-

vitæ civilis munera impar erat. In hoc miſero rerum ſtatu id maxime angebat Parentum animos, quod Nobilis æger is eſſet qui ſolus illuſtri Familiæ ſucceſſores dare poſſet. Multa incaſſum à Medicorum ſolertia uſurpata ſunt; tandem ad Montis Ortoni Thermas miſſus eſt ut ijs balneis uteretur, & aquam B. Virginis diebus quindecim potaret. Leniſſimi caloris erat balneum in quod quotidie per horam ad jugulum uſque deſcendebat. Summa aquæ thermalis doſis libras quatuor non excedebat. Hac remediorum lenitate a me ſummopere commendata breviſſime ad perfectam valetudinem revocatus eſt, nullo remanente tot ſymptomatum veſtigio. Inſequenti anno ſimili omnino medicationi ſe ſubjecit, non ſanationis (cum non indigeret) ſed præſervationis tantum gratia.

Morbi cauſam Nobilis iſtius Ægroti perpendenti, & regiminis remediorumque naturam, facile patere arbitror ſanationem hanc & remediorum viribus, & methodi lenitati, & præcipue a Venere abſtinentiæ, eſſe tribuendam

quæ

quæ abſtinentia ſi abſuiſſet, nullus dubito quin inutilia prorſus futura fuiſſent remedia. Si vero calidioribus nimium uſus eſſet balneis, colliquato adhuc magis per nimios ſudores exhauſto corpore, morbi augmentum potius, quam decrementum ſecuturum fuiſſe reor.

## OBS. IX.

*Apoplexia levis a balnei nimio calore.*

FRanciſcus Paccini Tyrolenſis, procera ſtatura, robuſtoque temperamento, crapulæ & vino jam diu deditus exercitatam, laborioſamque vitam degerat. Iſchiadico dolore laborans conſiſtenti ætate ad Montis Ortoni balnea pervenit eo tempore quo Thermarum noſtrarum adminiſtratores, publicis præſcriptionibus legibuſque nondum ſancitis, omnia pro libidine, & ignorantia impudentiſſime dirigebant. Balneis & lutis illius ſcaturiginis utebatur quotidie æger multa cum utilitate. Sed die ſexta in balneum adeo calidum immiſſus eſt, ut non diu tollerari a ſe poſſe conquereretur. At

mi-

miniſter calidiora balnea ſemper efficaciora e-vadere, morboſque ab illis citius curari aſſerens, reluctantem robuſtum virum uſque adeo detinuit, donec in graviſſimam animi defectionem prolapſus, deperditis omnino internis, externiſque ſenſibus, veluti mortuus extractus eſt, lectoque repoſitus. Cum pro apoplectico haberetur Medicum illi vico proximum apellarunt, qui binas ſtatim & generoſas ſanguinis emiſſiones inſtituit, præſcripto etiam pro inſequenti die forti purgante. Expergefactus aliquantum eſt æger, & reſtituta quodammodo loquela; ſed obtuſo manente ſenſu, debili, & imperfecto motu, pulſu duro, tardo, & inæquali cum ipſum tertia die vidiſſem de proxima apoplexia valde timens, tertiam ſanguinis emiſſionem, ſcarificatas cucurbitulas, frictiones, & alia imperavi, atque ut in patriam quantocius, & commodius fieri poſſet rediret, valde reformidans ne ſi diu in balneorum uſu perſeveraret ab ijſdem necaretur, a quibus in tantum vitæ diſcrimen adductus fuerat. Monito paruit, brevique diſceſſit, ſed ita attonitus ut quovis

mo-

momento apoplexia prolapſurus videretur. Nullum inde nuntium unquam habui.

## OBS. X.

### *Atrophia & Semiparalyſis in crure ex Vulnere.*

NObilis & generoſus Legatus Comes Nicolaus Melz Colloredo Goritienſis, jam quadragenarius, temperamento ſic ſatis robuſto, rigidaque textura, in acerrima illa pugna quæ inter exercitus Auguſtiſſimæ Reginæ Hungariæ, & Regis Boruſſiæ commiſſa eſt XIV. Kal. Quint. MDCCLVI. vulnere (ſclopeti ut ajunt) ictus fuit in crure dextero ad latus externum paulo infra genu. Pila tormenti bellici ex interiore parte exiens oſſa intacta reliquit. A Chirurgis varie tractatus cum in lecto per novem menſes decubuiſſet, morbuſque jam fere ad cicatricem perveniſſe crederetur, ut e lacto pauliſper ſurgeret præſcriptum eſt.



Cum

Cum primum crus leniter in terram defixit, atroci de repente oborto cruris dolore in animi defectionem incidit, cujus doloris cauſam Chirurgi in ipſo vulnere perſcrutantes, oblongum ſinum ad melleolum uſque externum invenerunt. Imperata totius ſinus ſectione, & medela juxta artis præcepta inſtituta, poſt plures tandem menſes vulnus ad cicatricem perductum eſt. Sanato vulnere non ideo ſanatum crus, ſed brevius ad ſex circiter tranſverſos digitos, licet nulla unquam in oſſibus læſio apparuiſſet, ad motum ineptum erat omnino: præterea totius cruris notabilis emaciatio, & rigiditas, ita ut in aſſidua contractione permanens, cum totis viribus diſtendi conaretur ſummi ſolum digiti in terram defigerentur. Varijs incaſſum tentatis auxilijs ad Thermas Auſtriacas ( Baden vulgo nuncupatas ) ſe tranſtulit, quas ad duos integros menſes expertus, cum nihil omnino profeciſſet, Patavinæ Thermæ propoſitæ ſunt, quæ cum contrarias ſubirent nonnullorum Clariſſimorum alioquin Medicorum opiniones, hæſit animo Vir Nobilis quamnam

 po-

potius ex contrarijs ſequeretur: aliqui enim multum damni, alij multum juvaminis ex hiſce thermis ſecuturum promittebant. Vicit iſtorum opinio, at multo tempore Medicorum controverſijs inſumpto, ad fontes noſtros non niſi ad finem Auguſti anno MDCCLVIII. potuit accedere. Rite igitur prius præparato corpore, cum ſcalas aſcendere non ſine maxima difficultate poſſet, quamvis machinis & ſervis ab utroque latere ſuſtentaretur, lutum S. Bartholomæi per horam in cubiculo apponi juſſi. Ea hora vehementiſſime ſudabat, idcirco juſculum quotidie adminiſtratum, deinde in vaſe ligneo aqua Montis Ægrotorum pleno crus totum per dimidium horæ immerſum, qua immerſione copioſus quoque manabat ſudor, tum dein lecto detentus donec & ceſſaret ſudor, & color faciei valde ruber ad naturalem redactus circulantium humorum impetum ſedatum ſignificaret. His quotidie peractis, aptoque cæterarum rerum regimine die ſexta ſenſibilis levaminis indicia apparuerunt, quæ in dies manifeſtiora perfectam curationem pro-

mittere videbantur. Sed cum ad medium Septembris perventum, declinante autumno, pluvia, & frigida enata tempeſtate, non amplius in hiſce remedijs inſiſtendum judicavi; plus enim damni in tali aeris conſtitutione, quam commodi ſecuturum, & quidquid ægritudinis ſupereſſet in proximam æſtatem curandum. Ut in omnibus ita in hoc religioſe obediens fuit. Diſceſſit ergo, ſed crure fere perfecte nutrito, & longiori ita facto, ut ad æquandam alterius longitudinem vix tantillum adhuc deeſſet. Calcaneum in terram cum aliquo licet difficultatis ſenſu poterat defigere, ſoluſque & leniter deambulare, & ſcalas aſcendere, ac per ipſas deſcendere non ſervis, nec machinis, ſed ſolius baculi adjumento ſuffultus. Elatiorem calceum ad tollendam claudicationem ſibi procurandum per hyemem ſtatuerat; at ne id faceret auctor fui: in diuturna enim contractione ſi tendines permanſiſſent fore ut rigidiores facti non amplius perfecte diſtendi poſſent. Domum reverſus meliora omnia per ipſam hyemem expertus, anceps hæſit diu ſtrenuus Vir,

num

num ſibi rurſus ad Thermas reddeundum eſſet, cum perfecte valere tum ſibi, tum ſuis amicis videretur. Redijt tamen ad initium Auguſti ſubſequentis anni, & per duas integras hebbomadas ipſiſſimam anterioris anni curationem inſtitui, hoc tantum diſcrimine, quod præcedenti anno ob ſummas deſcendendi per ſcalas difficultates pediluvijs tantum utebatur ex aqua Montis Ægrotorum, poſtero vero anno quotidie ſolus, & totus, cum viribus polleret, in balneum deſcendebat. Sumpſit præterea ſingulis diebus aquam B. Virginis, ſive Montis Ortoni in moderata tamen doſi, quæ mirum in modum urinas, & alvum ciebat; ex quibus multo plus roboris adeptus, perfecte ſanus diſceſſit. Anno rurſus inſequente, quoniam per hyemem aliquantulam cruris rigiditatem quandoque expertus erat, & tunc maxime cum a longo tempore ſedens immotum crus detinuerat, ſimillimæ proximi anni curationi ſe ſubjecit, qua totum curationis opus perfici viſum eſt.

Multis annis inde perfecte valuit: tandem

mi-

miſerrimo fato, cum in hyeme laute cænaſſet, ſtatim a cæna nocturnum iter in reſerato curru ſuſcepit, atque ore aperto obdormiens frigidiſſimum aer reſpiravit, unde peracutiſſima Peripneumonia correptus quarta die perijt.

## O B S. X I.

### *Hemiplegia.*

FR. Fauſtus a Mantua Seraphici Ordinis Minorum Obſervantium Theologus, atque Orator ſacer, annorum circiter quadraginta, ſanguineo temperamento, ſtatura, & corporis mole excedens, craſſo, brevique collo, cibis non ultra vaſti corporis indigentiam indulgens, vino cæteriſque volatilibus liquoribus parcens, duobus annis de emittendæ urinæ difficultate conquerebatur, quin etiam frequentes & copioſæ mucoſitates in urinis apparebant: nihilominus exacto regimine, paucis, blandis, aptiſque remedijs circa autumnum anni MDCCLVIII. evanuiſſe morbus viſus eſt. Hyeme de repente tenebricoſa vertigine correptus, ſupra latus dex-

te-

terum procubuit, motu & ſenſu totius corporis deperdito, impeditaque loquela. Promptis, generoſis, repetitis, e varijs locis, per diverſa inſtrumenta ſanguinis detractionibus, purgantibus, derivantibus, alijſque aptis remedijs in corpore valde plethorico, integra reſtituta fuiſſet corporis valetudo, niſi reſtantibus in ſummo capite diſtendentibus doloribus, reſtituto prorſus totius corporis motu, media ad lineam corporis totius pars ſine ullo ſenſu relicta fuiſſet. Conſuetis antiparalyticis præſidijs fruſtra uſurpatis, Medicorum conſilio ad Montis Ægrotorum thermas ſe detulit menſe Julio anni MDCCLIX. corpore medicamentis bene præparato. Per dies duodecim quotidie balneo utebatur non valde calenti, ibique e mediocri altitudine guttas cadentis thermalis aquæ ſupra cranium vagantes ſuſtinebat per horam: e balneo egrediens lectum petebat, ſudorque in balneo promotus, adhuc per horam in lecto fluebat a ſana ſolummodo corporis medietate, nam altera medietas quæ ſenſu carebat, licet motu, & robore non cararet, ſicca, & arida per-

permanebat. Vigente appetitu, bene dormiente ægro, conſtantibus viribus, alacrique animo, mirum certe mihi viſum eſt ijs remedijs per eos dies nihil profectum fuiſſe. At cum animadvertiſſem ex remediorum thermalium uſu ne minimum quidem lædi caput, duo alia remedia proponere peropportunum judicavi, aquam nimirum Montis Ægrotorum, & lutum S. Bartholomæi. Aquæ igitur illius libras duas quotidie mane potabat, qua prompte per urinas reddita, balneo & ſtillicidio utebatur. Hora a prandio quarta modo ſuperior artus, modo inferior, modo inſenſibilis trunci pars luto S. Bartholomæi obducebatur. Quamvis autem non exigui caloris eſſet lutum nullus tamen ab inſenſibilibus partibus manabat ſudor, ſine quo impoſſibile mihi videbatur naturalem ſenſum deſtitutis partibus reſtitui poſſe. Qui Paralyſeos naturam, & proprietates perpenderit, facile intelliget unde repetenda fuerit ea ſudoris eliciendi difficultas ab affecto corporis latere. Ut igitur ex paralyticis partibus educeretur ſi fieri poſſet ſudor, ægro in hypocauſto de-

decumbenti apponi feci lutum Montis Ægrotorum, ibique & e reluctanti latere moderatus proveniebat ſudor. Ita ad quartam fere hebdomadam perventum eſt qua nullum vel minimum juvamen apparuit. Binas etiam ſanguinis emiſſiones interpolatim inſtitueram ut & ab predominante plethora, & a ſanguinis rarefactione a thermalibus remedijs inducta, caput defenderem. Patiens igitur eodem prorſus morbo quo venerat, ijſdemque ſymptomatibus abijt; a me rogatus eſt ut ſi quid novi per hyemem accideret me per litteras commonefaceret; fore enim ajebam progreſſu temporis ut ſponte id fortaſſe eveniret, quod in ipſa medicatione non contigerat. Nullis inde ad me miſſis litteris pejora omnia eveniſſe timebam; at ſubſequenti æſtate me nec opinantem ad thermas convenit ab paralytico affectu omnino liberatus. Senſim hyeme redijt partibus ſenſus, at ſenſim etiam Lithiaſis ſymptomata apparuerunt, quæ adeo increverunt ut ad lithotomiam ſuſtinendam ægrum inducerent.

Conſulto ſuperius expoſui probum hunc pa-

tientem, priuſquam apoplexia corriperetur ſtranguriæ fuiſſe obnoxium, a qua paucis, blandiſque remedijs liberatus, repente apoplexia ictus eſt, quæ in imperfectam paraplegiam deſijt. Sanata paraplegia rurſus ſtranguria ſe prodijt. Non ne dubitare quis poſſet horum morborum ſucceſſiones a morboſæ materiæ ſucceſſiva metaſtaſi exortas fuiſſe?

## O B S. XII.

### *Hemiplegia.*

THomas Pelli Venetus corporis habitu valde craſſo, & pingui, cum mercaturæ cauſſa Uliſſipone multos annos immoratus eſſet, commune enormis terræmotus infortunium ſubijt, a quo valde adhuc vexatus in aliud incidit, incendium nempe, cujus cauſſa quidquid tot annorum induſtria, & labore ſibi comparaverat, paucis horis miſerrime abſumptum eſt. Deperditis omnibus facultatibus, majus bonum illi reſtabat, nempe ſanitas, & virium robur in coſiſtenti ætate; ſed & hæc momen-

mento temporis amiſit, gravi enim apoplexia correptus eſt: de eo actum putabant Medici, cum per triduum motus & ſenſus omnes tam internos quam externos perijſſe penitus vidiſſent. Vulgatis remedijs opportune adhibitis in Hemiplegiam tranſijt morbus cum locutionis difficultate, oris diſtorſione, & oculorum veluti ex orbitis protruſione. Sex menſibus, Luſitanica medicatione neque evanuit Hemiplegia, neque imminuta eſt. Longo maritimo itineri ſe commiſit infelix male tractatus Vir, & Venetias ſe tranſtulit, ubi prudentiſſimi, & Celeberrimi Medici Alberti Stella præſcriptionibus ſe ſubmittens, quoad locutionem, & oris diſtorſionem multum obtinuit, parum vero quoad Hemiplegiam. Propterea ſapiens Medicus conſilium dedit, ut æger ad Montis Ægrotorum balnea ſe transferret, & meis præſcriptionibus uteretur exacte. Idcirco lutum S. Bartholomæi per dies duodecim, totidemque diebus illud Montis Ægrotorum præſcripſi uno die ad artum ſuperiorem, altero die ad inferiorem, & tertio ad dorſum. Incredibilis e

 craſ-

craſſo corpore profluxit ſudor, unde nimiæ obeſitatis decrementum. Sed in paralyticis partibus licet aliquid juvamenti appareret, non tamen tantum erat, ut integræ recuperandæ valetudinis argumentum certum inde haberi poſſet. Locutio in dies expeditior obſervabatur. Hac methodo ad declinantem autumnum perventum eſt: pluvio & frigido facto Cælo medelæ terminum impoſui. Domum reverſus patiens meliora omnia quotidie magis experiebatur, & Menſe Januario ſubſequente cum eſſem Venetijs ipſum per vias ambulantem inveni ſolius baculi auxilio.

Hac hiſtoria omnes eos Medicos admonitos volo, qui thermarum uſum in Hemiplegijs adeo reformidant, aut inutilem prorſus credentes, aut nimis periculoſum: male enim affici caput a lutorum, & balneorum calore facile credunt, & tunc præcipue cum ad artus ſuperiores apponuntur luta. Ego vero cum per tot annos infinitas propemodum Hemiplegias hiſce remedijs tractatas attente obſervaverim, licet multum in plurimis, parum in multis,

nihil omnino in aliquibus profectum animadverterim ; tamen nulla prorſus obſervatione mihi conſtat quidquam damni inde deveniſſe, dummodo debita prudentia, & moderatione uſurpata fuerint. Caute quidem in Hemiplegia ad artus ſuperiores utendum eſt lutis, cautiſſime balneis, & ſi ab hiſce nimium exaltari caput obſervetur, aut venæ ſectione occurrendum eſt, aut breviori tempore, minorique calore luta, & balnea adhibenda ſunt.

## OBS. XIII.

### *Hemiplegia.*

QUod in præcedenti hiſtoria aſſerui ab iſta abunde confirmatur. Nobilis & experientiſſimus Comes de Wiſtbourgh Germanus, Legati militaris munus pro Sereniſſima Republica Veneta exacte ſuſtinens temperamenti ultra modum bilioſi, gracilis, aduſtus, & quinquagenarius dum in maritima quadam expeditione operam ſuam præſtabat apoplexia correptus eſt, qua in Hemiplegiam degenerante

Pa-

Patavium tandem pervenit, & a Sapienti Medicinæ Practicæ Primario Profeſſore Jacobo de Scovolo tractatus multum quoad univerſale profecit. Ut vero motus artubus dexteri lateris reſtitueretur, idem Cl. Profeſſor ad Montis Ortoni thermas ſtrenuum Nobilem virum miſit, longa medicatione prius præparatum. Aquam B. Virginis quotidie potandam præſcripſit, tum ſeptimo quoque die purgans medicamentum: balnea item, & luta Montis Ortoni, exiguo tamen caloris gradu, & per pauca horæ minuta, nec quotidie, propter virium debilitatem. Tam leni, opportuna tamen medicatione poſt duas hebdomadas conferentiæ apparuerunt rudimenta, licet & ob corporis morboſam conſtitutionem, & ob mentis ex ſulphureo temperamento inconſtantiam, modo ardentiſſime remedia expoſtularet, modo ad triduum, & quatriduum & remedia, & Medicos militari intolerantia omnino reſpueret. Nihilominus progrediente medicatione quotidie melius ſe habebat, & elapſo menſe paralytica manu ſcribere facile poterat, ſolus per Cænobium

bium deambulabat, ſcalaſque aſcendebat, quin & vividior color apparebat, promptiorque appetitus. Me invito, licet alijs annuentibus, ſingulorum thermalium remediorum uſum voluit protrahere ad duos menſes unde ex immoderata ſudoris copia exinanitum eſt gracile corpus. Novum Apoplecticum inſultum paſſus eſt, cujus cauſa credebatur magna ira, & graviſſimum animi pathema; brevi tamen & facile in priſtinum ſtatum redijt. Patavium poſtea reverſus tuberculoſa phtyſi correptus paucis diebus extremo fato ceſſit.

## OBS. XIV.

### *Hemiplegia.*

TOt Hemiplegiæ quotannis in thermis curantur, ut infinitæ propemodum de hoc morbo mihi enatæ ſint obſervationes, quas omnes exponere ut ſupervacaneum exiſtimo, hanc unam addere ſatis erit. Joannes Baptiſta Tomba Veronenſis corpore robuſto & obeſo,

po-

potui & cibo deditus, ſexagenarius apoplexia correptus eſt. Promptis & convenientibus remedijs tractatus in Hemiplegiam tranſijt, a qua cum longo remediorum uſu minime ſanaretur, conſilio Celeberrimi P. P. P. Joannis A Bona ad Montis Ægrotorum balnea venit. Balnei & luti ejus ſcaturiginis uſus duodecim diebus adeo profecit, ut perfecte ſanus evaſerit. Poſtea ad multos annos tam bene ſe habuit, ut cum eſſet a longo tempore Agriculturæ deditus, eandem operam quam juvenis, ſenex etiam & ab apoplexia, & paralyſi reſtitutus præſtaret.

## O B S. X V.

*Gingivarum decorticatio cruenta.*

ABlactata infans famuli mei Franciſci Sarzani filia cum comedere ſine multa difficultate non poſſet, & aliquando ex ore cruentam ſalivam emitteret, os ejus inſpiciens vidi gingivas valde tumentes, intenſo rubore refertas, hic illic decorticatas, & ſanguine manantes. Cum de ſcorbutica humorum tenellæ in-

fan-

ſantis diſcraſia non deeſſent argumenta, indicto lacteo victu, ſatis eſſe duxi pro ea ætate ſi frequenter aqua Montis Ægrotorum tepida gingivæ abluerentur. Moleſtæ a principio erant ablutiones, ſed ſexdecim diebus ab omni gingivarum decorticatione, dolore, intenſo rubore, tumore, & cruore immunis evaſit puerula.

## OBS. XVI.

### *Hemicrania.*

FRanciſcus Lucatini Tyrolenſis ſanguineo-bilioſi temperamenti venationi nimium deditus, per multos annos eos omnes labores, & viciſſitudines ſuſtinuerat, quibus obnoxij ſunt venatores, ſine ſenſibili moleſtia. Demum capitis dolore frequenter vexari cæpit, qui ab initio nec valde gravis, neque admodum diuturnus, progreſſu temporis in pertinaciſſimam hemicraniam tranſijt. Vulgatis remedijs non miteſcebat morbus. A Montis Ægrotorum fontibus integram valetudinem reportare ſperavit, nec ſpes eum feſellit. Calidiſſima æſtate in a-

perto curru iter fecit, & ab inſolatu adeo exaſperata eſt hemicrania, ut ad thermas cum perveniſſet, biduo lecto ſe detinere coactus fuerit. Cucurbitulas ſcarificatas ſtatim ſcapulis apponi juſſi, quibus libra fere ſanguinis detracta. Aquam poſtea B. Virginis ſumpſit, prima die in duarum librarum doſi cum ſemiuncia Mutinenſis ſalis. Alvo ſic ſatis ſubducta inſequentibus diebus augebatur ſenſim thermopotationis doſis uſque ad ſex libras, quibus uſque ad medicationis finem continuatum eſt. Facile, & cito per urinarias vias exonerabatur aqua, aperta manente alvo, auctoque appetitu. Jentaculo poſtea ſumpto in tepens balneum deſcendebat per horam, quo tempore calidiſſima thermalis aqua ex trium pedum altitudine ſupra ægrotantis caput guttatim huc illuc cadebat. Primis diebus a ſtillicidio exacerbari dolor capitis videbatur, ſibi enim adoleſcens a guttis cadentibus diffindi cranium conquerebatur. Hoc phænomenon non tanti feci ut me a propoſito revocaret, quin quotidie eodem prorſus modo inſiſtendum ſuaſi: Duodecima die

im-

imminui cæpit dolor; at timens ne a balnei & ſtillicidij uſu fieret nova aliqua ſanguinis ad caput incurſio, cucurbitulas ſcarificatas repetere non dubitavi. Remedijs hiſce ad vigeſimam ſextam diem productis adeo profectum eſt, ut fugata omnino hemicrania perfecte ſanus evaſerit.

## OBS. XVII.

### *Ophtalmia recidiva.*

JUlia Badia Patavina ſeptuagenaria ſanguineo-bilioſi temperamenti, licet exacta uteretur vivendi ratione, a longo tempore capitis defluxionibus vexabatur, quæ ut plurimum oculos impetebant. Venæſectionibus, & purgantibus utebatur, quibus miteſcebat ſæpe recurrens morbus, & ſæpe etiam reſolvebatur; ſive remediorum cauſa, ſive mobilis materiei natura. Frequentiores & graviores ſenſim factæ ophtalmiæ cæcitatis timorem incutiebant. Ab ijs enim ferociores exoriebantur dolores, albuginea rubeſcebat intenſe, viſuſque deficiebat.

Neque provecta ætas, nec virium debilitas ſanguinis detractiones, & purgantium uſum amplius ſuſtinere poterant; conſuetis in ſimilibus morbis collyrijs nihil juvantibus. In conſilium vocatus ego fomenta parti affectæ laudavi ex thermali aqua vulgo dicta *della Laſtra*. Cum igitur Patavij hac aqua uti deberet, in multa nempe a fonte diſtantia, ex quo neceſſario futurum fuerat, ut nativo calore deſtitueretur, præſcripſi ut in vaſe vitreo probe clauſo, balneo Mariæ calefieret priuſquam ad uſum vocaretur, & in oculos immitteretur. Statim ac aqua iſta uti cæpit tantum levaminis experta eſt ægra, ut intra paucos dies ab omni ſymptomate liberaretur; & quotieſcumque ( quod raro poſtea ) vel minimum ad oculos influxum perſentiebat Laſtrenſi aqua utebatur, & breviſſime ſanabatur.

OBS.

# OBS. XVIII.

## *Otalgia.*

FRidericus Madius Venetus, quadragenarius, ſanguinei temperamenti a multo tempore frequenter tam atroci auris dexteræ dolore cruciabatur, ut & longæ vigiliæ, & deliria, & febres, & enormes convulſiones excitarentur, nec ſemper ſine vitæ diſcrimine. Per ſex annos & Medicorum ſolertiam, & remediorum vim eluſit ferox pertinax morbus. Tandem veluti ad ultimum experimentum meo conſilio ad Thermas venit æger. Matutinum quotidianum tepidum balneum imperavi; veſpere vero calidum ſtillicidium ex aqua Montis Ægrotorum ſupra meatum auditorium, oſſa temporum, frontis, ſincipitis per horam. Primis diebus ſtillicidio exaſperabatur dolor, progrediente medicatione diminuebatur, finita, nempe poſt menſem, omnino ſublatus eſt, nec poſtea amplius recruduit.

OBS.

# OBS. XIX.

## *Paralyſis ab internis cauſis.*

JO: Baptiſta Tebaldi Veronenſis quadragenarius temperamento ad cachecticum vergente in uſu ſex rerum ( ut ajunt ) non naturalium , & præſertim vini non admodum moderatus , a longo tempore artuum , & præcipue inferiorum debilitatem patiebatur cum tremore conjunctam . Debilitate , & tremore increſcentibus paulatim perfecta paralyſis in dextera manu facta eſt , imperfecta vero in reliquis artubus . Multis antiparalyticis remedijs fruſtra uſurpatis ad uſum ventriculorum , muſti , & balneorum dulcium frigidorum devenit , nec meliori eventu . Thermæ Patavinæ a Clariſſimis Medicis præſcriptæ ſunt . Propterea menſe Auguſti anni MDCCLVIII. ad Montis Ægrotorum fontes ſe transferri curavit . Manus dextera motu & ſenſu prorſus deſtituta erat , & tremula , ſed non emaciata , nec frigida ; altera manus , niſi quod robore deſtituebatur ,

pa-

paralytica dici non poterat. Crura valde debilia & tremula, præcipue circa genua: ita ut etiam leniter deambulando, quanvis baculo & famulo ſuſtineretur crura non elevaret, ſed poſt ſe veluti traheret. Principio leniter purgatum eſt corpus, inde uſus aquæ Virginis per quindecim dies præſcriptus, ita tamen ne doſis ſumma thermalis aquæ ſeptem librarum pondus excederet. Maxima pars potus thermalis per alvum, ut ſolet, primis diebus ejiciebatur, tum ſenſim ab inteſtinis deflectens, facile, & celeriter per urinæ vias educebatur. Educta aqua juſculum ſumebat, tum lutum S. Bartholomæi brachijs imponebatur, poſtero die cruribus, & etiam oſſi ſacro, ſi forte nervi ſacri & extremi ſpinales concauſa eſſent inferioris paralyſeos. Sic quoque analoga ſuſpicione & ſcapulæ aliquando lutabantur. Poſt prandium manus integre paralytica ſtillicidium ſuſtinebat thermalis aquæ in qua prius chamomillæ & Melilothi flores, & ſalviæ, roriſmarini, & lavendulæ folia infundebantur. Stillicidio peracto inungebantur manus oleo therebintinæ æthereo,

reo , aliquando etiam galbaneto Paracelſi : luto S. Bartholomæi lutum S. Helenæ ſucceſſit , inde lutum Montis Ortoni , poſtea Montis Ægrotorum , denique S. Petri Montis Anionis : unumquodque quatriduo. His omnibus nihil omnino profectum eſt. An propter humorum diſcraſiam ? an quia morbus inveteratus nimis ? an quia nimium Bacco æger indulgens , neque in ipſa medicatione ſibi temperare voluerit ?

## OBS. XX.

### *Paralyſis ab internis cauſis.*

JOſephus Alleotti Mutinenſis quadraginta annorum vir Sereniſſimi Ducis Mutinæ miles , fractis viribus tum in militaribus laborioſis expeditionibus , tum ex immoderato rerum non naturalium uſu in humorum diſcraſiam incidit , unde ſenſim Paralyticus factus eſt. Torpore , & tremore in artubus primo correptus eſt , quibus in dies increſcentibus motus , & ſenſus imminuebantur , donec toto corpore tremebundus manibus uti nihil poſſet , crura ve-

vero, flectere non valens, difficulter poſt ſe traheret. Quot propoſita fuere remedia, tot adhibita ſunt, mercurialibus etiam non omiſſis, ob aliquam latentis adhuc antiqui venerei morbi ſuſpicionem. Anno ab incæpto morbo tertio Patavinæ Thermæ propoſitæ ſunt, ne quid potius intentatum ſupereſſet, quam ſanationis ſpe. Ad Montis Ægrotorum balnea delatus, leniter prius purgato corpore, aqua B. Virginis in moderata quantitate quotidie exhibita & alvus lubrica efficiebatur, & fluentes urinariæ viæ reddebantur. Poſt thermopotum in balneo non valde calido ad jugulum uſque per horæ dimidium detinebatur, a balneatore continuo adjutus, ibique mediocriter ſudabat: poſtea per horam apponebatur lutum S. Bartholamæi artubus modo ſuperioribus, modo inferioribus, idque per dies quindecim, totidemque diebus cænum Montis Ægrotorum eodem modo. Lutum majorem ſudoris copiam eliciebat, quam balneum. Hiſce remedijs nec debiliores factæ ſunt vires, neque ulla vel minima morbi diminutio appa-

ruit. Invito me nimis vino indulgebat æger, & veſpertino frigidiuſculo aeri nimis ſeſe, tranſpirante valde corpore commitebat. Quid igitur mirum ſi in inveterato, difficilique morbo nihil profecerit? ſi tamen nihil profici in eo morbo dicendum eſt, qui remediorum vi coercitus non increvit.

Simili prorſus medicatione uſus eſt Nob. Vir Comes Aloyſius Valmarana Vicetinus, nec meliores effectus expertus eſt in inveterata, gravi, & ab internis cauſis profecta Paralyſi.

*Calidæ immerſiones omnibus Paralyticis nocent*, ait Richardus Mead (*a*). Hoc de Bathonienſibus thermis verificari tanti Viri auctoritate non dubito. At ſi præſtantiſſimi hujus Medici propoſitio abſolute ſumatur, non raro falſam, & experientiæ contrariam inveniri, & ſuperius allatis obſervationibus, & ſubſequentibus etiam comprobari poſſe confido.

Fauſtis graviorum Paralyſium per thermalia remedia curationibus, & earum quoque deſcriptio-

(*a*) Monit. & præcept. Medic. Cap. II. Sect. II.

ptionem adnectere volui, in quibus inutilis prorſus thermarum uſus viſus eſt, ut inde clarior, exactior, & fida magis evadat morbi, & remedij doctrina; & Medicaſtrorum jactantia deprimatur, cum nihil ſit in Medicina abſolutum.

## OBS. XXI.

### *Paralyſis ab internis cauſis.*

PRobus Sacerdos Joſephus Suzzi, idemque in noſtra Univerſitate Pub. Prim. Philoſophiæ Profeſſor, ſtudio & doctrina in mathematicis vel cum paucis, vel cum nemine comparandus, lumen, & ornamentum hujus Gymnaſij, temperamento erat ultra modum robuſto, & ſanguineo, prægrandi ſtatura, alacri animo, & conſtanti valetudine. Hæc tandiu perſtitit, quamdiu conſueta, moderatiſſima nempe, vivendi ratione uti potuit. At ſublimis Mathematici fama non ſemper intra privatos parietes eum vivere permiſit, ſed ut ejus doctrina & conſilium publicis neceſſitatibus erat neceſſarium, ita &

ejus præſentia frequenter in inundationibus, fluminumque irruptionibus requirebatur. Quo factum eſt ut in hydroſtaticis expeditionibus publicæ utilitati inſerviens in paludoſis, humidis, inſalubribuſque locis non raro degeret, omnibus cæli mutationibus, & intemperiebus, magis de publica, quam de ſua ſalute ſollicitus, facile ſe exponens. Quæ corporis pars a præcedenti ſtudioſæ vitæ ratione erat quodammodo debilitata, ea graviora damna ſubijt; caput nimirum, totumque nervorum ſyſtema. Propterea & capitis doloribus, & epilepticis convulſionibus non raro corripiebatur, quæ aliquando ſummopere ingraveſcentes præclariſſimum Virum in vitæ diſcrimen inducebant. Paroxiſmis ſedatis ſtupor quidam in ſiniſtris artubus relinquebatur, cui progreſſu temporis, & inſenſilitas acceſſerat. Tandem eo ventum eſt, ut ſi ambulare vellet non libere ſiniſtrum crus movere poſſet, & curvam lineam in paſſubus deſignandis deſcriberet. Non defuit eximio Viro illuſtrium amicorum Medicorum induſtria, qui nihil intentatum reliquerunt, ut

tan-

tanti Hominis priſtinam valetudinem reſtituerent; ægerque ipſe ad omnia, & ſingula experiunda ultro ſeſe offerebat. Quod maximum certe erat, ut cerebrum nempe a tam validis, minantibuſque affectionibus ſpaſmodicis defenderetur, præſtitum eſt. Sed reſtabat artuum paralyſis, pro qua lutum S. Bartholomæi præſcriptum eſt, ea lege ut ſolo cruri apponeretur, nec valde calidum, neque ad multum temporis, ne ſcilicet majori impetu ſanguis in cerebrum irrueret, & apoplexiam produceret. Qua de re imminuta prius per detractiones ſanguinis redundantia, purgato, & præparato corpore in domum quandam ſe contulit a Montis Ægrotorum fontibus parum diſſitam circa medium Julij Menſis MDCCLIX. Ibi præſcriptum lutum quindecim diebus expertus eſt, cæteras omnes Medicorum præſcriptiones adamuſſim obſervans. Ablato luto thermali aqua ſatis calida abluebatur, poſtea in lecto adhuc per horam copioſe ſudans remanebat. Toto medicationis iſtius tempore, nullum vel minimum capitis incommodum apparuit. Quinta

me-

medicationis die tres paralytici pedis digiti evidentiſſime moveri cæperunt, & ſuperior artus leves quoſdam motus edebat, quos prius non poterat. Hæc licet exigua primis diebus apparentia ſigna, futuræ integræ ſanationis inditia eſſe debebant; ſed uſque ad decimum quintum diem nullum majus levamen obſervatum eſt. Animadvertentes Medici a peracta medicatione nullatenus affici caput, magno animo, balneorum quoque uſum addere, & aliorum lutorum ad artum etiam ſuperiorem ſtatuerant. Sed Cl. Sacerdos familiaribus curis Patavium revocatus, ut intempeſtivam migrationem excuſaret, vulgatam, falſam tamen, opinionem ſuſtinere pertinaciſſime voluit, nimirum thermalia remedia quidquid præſtare valent, quindecim diebus præſtare, neque ab longiori uſu quidquam melius accidere. Nullis argumentis in contrarium adductis obtineri potuit ut in medicatione adhuc perſiſteret. Stetit pro ratione voluntas. Diſceſſit, & morbo ſenſim incrementum maximum ſumente, corruptoque frequentibus diris convulſionibus cere-

bro,

bro, inſequenti anno extremo fato correptus eſt.

## OBS. XXII.

### *Paralyſis in manu.*

RUſticus quidam Rhodiginus, nomine Antonius Furin quadraginta annos natus, aduſta, rigidaque fibra, nulla, quod ipſe ſciverit prægreſſa externa cauſa, ante duos annos paulatim paralyticus fieri in manu dextera cæpit. Ex ipſo ortu adeo increverat morbus, ut intra duos menſes inſenſibilis omnino, & immobilis redderetur manus: progreſſu temporis non ſolum frigida, ſed & ſummopere emaciata erat, digitique omnes ita in pugnum erant inflexi, atque ut ita dicam exſiccati, ut non mediocri externa vi opus eſſet, ſi pauxillum extenderentur. Circa Medium Auguſti anni MDCCLVIII. ad thermas Montis Ægrotorum ſe tranſtulit eleemoſynam, & miſericordiam implorans, impotens manu nullo modo valens ſibi victum procurare. Suſcepi hominem, atque

que omnem operam, animumque eo converti, ut ſi quid in hiſce affectibus ex Patavinis thermis ſperandum eſſet, id miſerrimus iſte experiretur. Leniſſime prius purgato corpore convenientibus alimentis nutriebatur, cum eſſet a longa inedia emaciatus æger. Quotidie mane decoctum ex ſalvia, & roremarino in aqua minerali ipſius fontis propinatum, additis guttis aliquot Spir. Cor. Cer. quo epoto poſt horam juſculum ſumebat cum ovi vitello, deinde ad jugulum uſque in balneo detinebatur per horam: ſtatim a balneo totum brachium in lutum S. Bartholomæi immittebat ad aliam horam. Primis diebus non valde ſudabat, licet balnei & luti calor non eſſet exiguus. Elapſis quinque diebus quibus ſemel tantum, bis quotidie balneo, & luto uti cæpit: copioſus tum ſudor apparuit. Hac methodo uſque ad decimum quintum diem perventum nullo alio futuræ ſanationis argumento, niſi quod mollior eſſet manus, mollioreſque digiti. Tunc lutum Montis Ægrotorum priori ſubſtituendum præſcripſi diebus itidem quindecim. Quo primum

mum lutum hoc apponi cæpit, quidam obſcurus licet motus in digitorum extremis articulis apparuit, qui quotidie ſenſibiliter increſcendo vel maxime apparebat ab ipſa luti appoſitione, vel circa finem balnei. Manus non amplius frigida adeo nutriebatur, ut ad naturalem nutritionem breviter perduci ſe poſſe ſpem exhiberet. In horum remediorum uſu, vix quadrageſimus advenit dies, omnia ad naturalem ſtatum redacta integram ſanationem demonſtrarunt manifeſtiſſime. Debilitas aliqua reſtabat in parte affecta, ad quam tollendam lutum S. Petri Montis Anionis præſcripſi bis in die per hebdomadam, non neglecto tamen balneorum uſu, quibus omnibus adeo ſanus evaſit, ac ſi nullo unquam morbo manus laboraſſet. Inſequenti anno me ſalutatum venit: interrogatus num quid novi per hyemem in manu animadvertiſſet, ſe perfecte ſemper valuiſſe, & valere reſpondit.

Multa fuere in hoc morbo adminiſtrata, & ſicut omnibus tribuenda eſt curationis laus, ita cui potius ex ſingulis referenda ſit non facile

dijudicaverim. Vis balnei & luti mineralis eximia in hiſce affectibus, ſi cui cognita eſt, mihi certe pluribus obſervationibus eſt perſpectiſſima: at methodus utendi, ordo, doſis, caloris gradus, non ne tribuere multum poſſunt ad ipſorum remediorum vires alterandas? Salviæ & roriſmarini theiforme decoctum quanto efficacius reddetur ſi ex thermali aqua Montis Ægrotorum paretur? mihi enim conſtat purgantia omnia in ea diſſoluta copioſius, & frequentius alvum ſubducere, ita ut ſi in ea aqua propinentur, multo minori doſi exhibenda ſint, niſi enormem catharſim ſubſequi velimus. Optima demum nutritio ex exquiſitis, & nutrientibus alimentis in corpore ab inedia, & pravis cibis male tractato, quantum valuerit in hac curatione, ijs facile innoteſcet, qui nerveas affectiones ex prava chylificatione provenientes rite perpenderint.

OBS.

# OBS. XXIII.

## *Paralyſis in manu dextera.*

PAulus Camocinus Salodienſis quadratæ corporaturæ in negotijs agendis, & rationibus mercaturæ inſervientibus ſubducendis conſtanter, diuque occupatus, juvenis adhuc, robuſtique temperamenti quandam in dextera manu difficultatem perſentire cæpit quotieſcumque in ſcribendo ea uti vellet. Progreſſu temporis hæc difficultas in omnimodam ſcribendi impotentiam tranſijt: cæterum & ſanus erat in reliquo corpore, & manus ipſa ſi ſolam ſcribendi facultatem excipias, ad omnes uſus inſerviebat, & motus facilitate, & ſenſus vividitate, & firmitudine muſculorum, ſed cum ad ſcribendum aptabatur, tremore correpta, viribus deſtituta informes tantum motus confuſe, & oblique deſcribebat. Rara quidem eſt hæc Paralyſeos ſpecies, mihi tamen huic ſimillimam obſervare contigit anno elapſo in ditiſſimo Germano Mercatore ſeptuagenario. Nec li-

nimentis, fomentis, emplaſtris, nec alijs internis ad paralyſim decantatis remedijs ceſſit unquam hic morbus; ideoque ad fontes Montis Ægrotorum menſe Auguſti pervenit. Quater cæno S. Bartholamæi lutata eſt manus, decies luto Montis Ægrotorum, ſepties illo S. Petri Montis Anionis. Quotidie etiam balneum adibat æger in quo valde ſudabat. Poſt vigeſimum quartum diem libere, & ſine ulla moleſtia ſcribere potuit.

## OBS. XXIV.

*Paralyſis poſt Mercurij ſublimati uſum.*

VEnetus cauſidicus quadragenarius ſulphurei temperamenti mentem habebat forenſibus meditationibus, & negotijs continuo vexatam, corpus vero inveterata, atrociſſima venerea Lue nec ulli remedio cedente cruciatum. Illud quoque acceſſit incommodum, quod formoſam, vivacem, & valde juvenem puellam in matrimonium duxerat. Triplici huic oneri ſuſtinendo impar omnino cum eſſet, ablegatis

fo-

forenſibus rebus, ſepoſita uxore, totus profligandæ Venereæ lui ſe dedit; propterea ſemel atque iterum, iterumque hydrargyroſim expertus, neque minimum proficiens ad Mercurij ſublimati uſum devenit magno animo, multa ſpe. At vel remedij vi, vel morboſo miaſmate acriori facto in tantam incidit totius nervoſi ſyſtematis depravationem, ut illi maximum vitæ periculum immineret. Nam & Cordis tremores, palpitationes, intermittentes deficienteſque pulſus, virium proſtrationes, lipothymiæ, ſitis inextinguibilis, viſcerum artuumque tremores, ſtupiditates, muſculorum ſubſultus, animi angores, involuntarij fletus, pertinaces vigiliæ, perturbatiſſima inſomnia, interni ardores per breviſſima intervalla recurrebant. Quin motus, ſenſuſque ſenſim deperdebatur non ſolum in artubus, ſed progrediente in abdomen paralyſi, affectaque urinaria veſica, incontinenter, guttatim, & inſcio ægro ſtillabat urina. Lecti calore, ſi vel minimum incaleſceret æger, auctis mirum in modum & citiſſime convulſivis ſymptomatibus,

e le-

e lecto ſtatim exire magno molimine, & incommodo cogebatur, ſi quid levaminis in tot malorum conflictu experiri vellet. Eo devenerat atrox morbus, ut fruſtrata omni Medicorum Venetorum ſolertia pro deſperato haberetur. Sed quia ob eximiam ſupremi Motoris providentiam ſpes homines etiam ad extrema conſtitutos nunquam deſerit, Patavium ſe transferri curavit æger, fama præclari Medici Hebræi Cantarini tractus, ex cujusq; opportunis licet, præſcriptionibus nullum ſolatium derivavit. Ne quid intentatum relinqueretur, voluit peritus Medicus & thermalium lutorum periculum facere. Miſſo igitur ad Montis Ægrotorum fontes miſero ægroto, mihi de meliori nota commendavit, ut quam leniſſimam medicationem inſtituerem. Qui cum ægrum prima vice vidiſſem, mirari non deſij, præclarum Medicum tantum animi habuiſſe, ut in ſumma virium proſtratione, ægrum ad interitum properantem ad id remedij genus determinaret, a quo homines vel robuſtiores non parum debilitantur. Nolebam enimvero neque primum

ex-

experimentum in tanta dejectione inſtituere, cum periculoſum nimis mihi videretur. Sed Medici præſcribentis magna apud ægrum auctoritas, ægrique obſtinata voluntas renitentem me, nec quidquam fauſti ſperantem induxerunt, ut alternis tantum diebus lutari crura S. Bartholamæi cæno in exigui caloris gradu, & per horæ quadrantem permitterem. Ab mitiſſima hac medendi methodo, tales, tantæque excitatæ ſunt perturbationes in vexato corpore cum omnium ſymptomatum augumento, ut ſi tertiæ lutationi paucas admodum addidiſſem, non dubitem, quin ſupremo fato correpta in ipſo Medicinæ theatro occaſura fuiſſet Veneris victima. Ablegato igitur omni remedio, quatuorque diebus reſtaurandis aliquantulum viribus inſumptis, invitum, lacrimantemque dimiſi tragico exemplo Hippocratis dictum confirmantem (a) *Quicumque autem morbus in nervos pervenerit roboratur, & quieſcit in eodem loco, & difficile eſt ipſum educere.*

OBS.

(a) Lib. de locis in homine.

# OBS. XXV.

## *Paralytica Veſicæ affectio Nephritidem mentita.*

NObilis, & ſtrenuus miles Legati munus pro potentiſſimo Anglorum Rege mirifice gerens Comes Georgius de Sculembourgh Germanus jam ante octo annos in quadam pugna pilæ tormenti bellici viginti circiter librarum pondo ad ſcapulam ſiniſtram proxime tranſeuntis impetum perſenſit, quo, licet pila nihil præter veſtimenta tetigiſſet, equo quo inſidebat magno veluti ictu disjectus eſt: citiſſime tamen, & magno animo ſe colligens equum rurſus aſcendit, & uſque ad finem pugnæ ſtrenue Legati offitio functus eſt. Quanvis tamen nulla neque cuticulæ læſio apparuiſſet, nec color mutatus ( tanta fuit compreſſi aeris vis ) frigiditas quædam ſiniſtram ſcapulam ita obſidere cæpit, ut quoties reſpondentem humerum attollere vellet, fortis in articulatione crepitus audiretur, quamvis nulla adeſſet

deſſet aut debilitas, aut in movendo difficultas. Varijs exinde doloribus corripiebatur, qui cum in lumborum regione, pubis, & perinæi ſedem haberent, Nephritici a Medicis multis judicati ſunt, atque ob id præcipue quod cum mejendi difficultate frequenter conjungerentur. Hinc antinephritica remedia uſurpata, quorum diuturno uſu exaſperari potius morbum, quam vel leviter imminui animadvertit; urina enim non ſolum cum majori difficultate, & mucoſo ſedimento proveniebat, ſed etiam ſtillatim inſcio ægro. Præterea frigiditas quædam in abdomine oboriri cæpit, quæ ſenſim increverat ita, ut pulvinar ex lana ventri appoſitum tenere cogeretur. Nihilominus in uſu lithonthripticorum pertinaciter inſiſtebant Medici non meliore eventu. Octo circiter annis ita tranſactis, neſcio quo conſilio ad fontes Aponi ſe tranſtulit poſtrid. Id. Maij MDCCLXX. ibique cum neminem propter tempeſtatis immaturitatem inveniſſet, Patavium ſtatim ad me miſit, ut quam citiſſime poſſem ad eum me transferrem. Ut perveni, Nobilis æger omnia

& ſingula ad longum morbum pertinentia fuſe expoſuit, quibus attente penſitatis cum in urinis nullas unquam arenulas aut calculos apparuiſſe diceret, & antinephritica remedia nocuiſſent ſemper, juvaſſent nunquam, cumque ſingula morbi phænomena & præcipue abdominis frigiditas tum per veſicæ urinariæ paralyſim, tum per antiquas urethræ caruncuIas explicari ſatis poſſe perſpicerem, in eam me ſententiam induxi, ut conſtanter proferrem Illuſtrem Comitem non Nephritide, aut Lithiaſi laborare, ſed veſicæ urinariæ paralyſi, & urethræ carunculis; quæ opinio vera ne an falſa eſſet a medicatione quam inſtituturus eram aperte patefieret. Si enim vel Lithiaſis, vel Nephritis adeſſet a thermalibus remedijs exaſperandas fore, ſi vero veſicæ paralyſis, cum urethræ carunculis, aut facilem remediorum tolerantiam, aut aliquam conferentiam conſecuturam eſſe promiſeram. Medicationem igitur ſic præſcripſi. Purgato leniter ventre caſſiæ conſerva, ſequenti mane libras duas aquæ B. Virginis cum lactis vaccini uncijs octo potandas

præſ-

præſcripſi , quibus per urinam , & alvum ejectis , nimirum poſt duas horas , cocolatam ſumebat , ſtatimque in balneum principio ad ſemihoram , progreſſu ad horam uſque deſcendebat. Poſt prandium vero hora Italica vigeſimaprima lutum S. Bartholamæi toto abdomini , & perinæo valde calens apponebatur. Aquæ B. Virginis doſis aucta uſque ad quartam tantum libram pervenit , cum lactis uncijs duodecim. Poſt diem quartum conſueto luto illud Montis Ægrotorum ſucceſſit , cui paucis ante medicationis finem diebus cænum Aponi ſubſtitutum eſt. Pluries in die aquam Aponi calidam ſyringa in urethram immitti juſſi ; & ſingula Medica , & diæthetica præcepta ſumma docilitate exequebatur æger. Vel primis diebus calefieri regio ſcapulæ , atque abdomen cæperunt , conceptumque calorem retinere. In balneo , & luto ſudabat valde : aqua B. Virginis una cum lacte celeriter circulum ſuum abſolvebat per urinarias vias , & per binas , & aliquando tres alvi dejectiones. Urina ultra vigeſimum diem mucoſum , & copio-

 ſum

ſum ſedimentum retinuit, ſed quinta die non amplius guttatim, & involuntarie, ſed fluenter & copioſe fluxit: Attamen circa mictionis initium dolor aderat, quem ad Urethram potius, quam ad Veſicam pertinere cenſui; detergendo enim injecta aqua Aponi antiquas caruncùlas, quin ab urinæ acrimonia doloris in urethra ſenſus oriretur, non poterat non efficere. Crepitus qui in attollendo humero audiebatur, erat quidem imminutus, ſed nunquam prorſus evanuit. Octava die, vel quia iter non breve, curru non ſatis commodo, per viam ſaxis refertam fecit, vel quia ea ipſa die a remedijs abſtinuit, vel quia fortaſſe plus quam medica præſcriptio eſſet, vino, & ſpirituoſis liquoribus indulſit, noctu ſibi dormienti urinam ut prius involuntarie delapſam animadvertit. Quod quidem infortunium non tanti faciendum ſuaſi: primum quia ob medicationis brevitatem debilitatæ veſicæ tonus omnino reſtitui minime potuerat, tum propter aliqualem vini, aliorumque liquorum exceſſum; ſulphureæ enim, & ſalino-volatiles liquorum particulæ co-

pio-

pioſius in urina redundantes vim ſolito majorem exercebant contra veſicam ſolito infirmiorem ; ab itinere enim per rudera & ſaxa in inepto curru pridie peracto , aſſiduis , fortibuſque concuſſionibus non male tractari veſica non poterat , atque magis infirmari. Quibus omnibus addenda eſt & ſomni profunditas , atque diuturnitas a præcedentis diei laſſitudine , & epulis exorta , quæ impedimento eſſe potuit , ne Nob. Vir ab irritatæ veſicæ ſenſatione expergefieret ad mejendum. Quomodocumque res ſe habuerit , poſtridie naturali modo emittebatur urina , & uſque ad medicationis finem ſine dolore , copioſe , voluntarie fluxit , ſi tres tantum noctes excipias , quibus involuntarie manavit ; ſed animadvertas eas noctes ſemper aliquas externas cauſas præceſſiſſe. Poſt integrum menſem tali medelæ inſumptum diſceſſit alacri animo egregius Comes noſtrarum thermarum in perpetuum recordaturus.

OBS.

# OBS. XXVI.

## *Surditas adventitia.*

LEopoldus Trogher illuſtris apud Tyrolenſes Medicus temperamenti ad phlegmaticum vergentis in vitæ regimine adeo exactus, ut ſi aliquando ægrotaret ex rerum non naturalium abuſu cauſam repetere minime poſſet. Paulatim auditus gravitatem perſentire cæpit, quæ per intervalla tamen recurrebat. Progreſſu temporis intervalla ſenſim breviora fiebant, tandem auditus gravitas facta eſt continua, brevique in ſurditatem tranſijt, nec niſi fortiſſimi clamores ab ipſo percipiebantur. Hæc incommoda ægritudo ſi cui moleſta, medico certe eſt moleſtiſſima. Idcirco Vir egregius cum quadrageſimum ætatis annum & ultra tranſegiſſet, multaque opportuna remedia inutiliter expertus eſſet, de recuperando auditu fere deſperans Patavium venit, ut conſilio incomparabilis Viri Jo. Baptiſtæ Mongagnij P. P. P. uteretur; qui cum attente collegiſſet ab exponen-

nente Medico ægro aptiora quæque remedia incaſſum fuiſſe uſurpata, ſurdum Medicum ad me miſit, ut ſi mihi videretur aliquid thermarum ope profici poſſe, experirer. Itaque Montis Ægrotorum balnea, & ſtillicidia præſcripſi. Balneo per horam quotidie utebatur mediocriter calido, at aquam ad ſtillicidium inſervientem adeo calentem præſcripſi, ut non ſine gravi moleſtia per integram horam tolerari potuerit. Cadebat thermalis aqua ab trium pedum altitudine, & modo auriculas, modo meatus auditorios, modo tempora, modo cranium in ſummitate, modo occiput percutiebat, unde cutis intenſe rubebat, qui rubor tamen finita operatione evaneſcebat. Decima tertia die ( ulterius enim immorari non potuit ) adeo eum profeciſſe perſpectum eſt, ut oſcillationes penduli horologij in ſexdecim pedum diſtantia percipere diſtincte potuerit. Domum reverſus bene ſemper audivit, ſicut a multis Tyrolenſibus poſt aliquot annos mihi nunciatum eſt.

OBS.

# OBS. XXVII.

## *Surditas a nativitate.*

PRoſper evenctus ſupra expoſitæ medicationis me non ſolum, ſed & præſtantiſſimum Morgagnum illexit, ut eandem ipſam præſcriberemus etiam Philippo Albaneſio Rivonienſi, quanvis probe dignoſceremus morbos a nativitate vel impoſſibilis, vel difficilioris eſſe curationis; ſed nullo exiſtente periculo in deſperatis ægritudinibus melius eſt anceps, quam nullum experiri remedium. Philippus Albaneſius undecim annorum puer, vivaciſſimi, & ultra ætatem robuſtiſſimi temperamenti natus erat omnino ſurdus, & cum ad eam ætatem perveniſſet qua pueri balbutire incipiunt, nec verbum proferret, de ſurditate Parentes ſuſpicari cæperunt, quæ ſuſpicio creſcente puero, nec minimum loquente, in nativæ ſurditatis certitudinem deſijt. Surditas a nativitate ab impedita locutione nunquam disjungitur; quare puer iſte ſurdus natus, mutus etiam evaſit. Multa,

& pro-

& propemodum infinita remedia a Medicis non ſolum, ſed & a circulatoribus propoſita fruſtra uſurpata ſunt. Demum parentes Patavium tranſtulerunt puerum, ubi conſilio Clariſſimi Morgagnj, & mea opera uſi ſunt. Præmiſſo de difficillima curatione prognoſtico juſculum viperinum una cum attenuantibus & reſolventibus ſumpſit per menſem, interpoſitis etiam aliquando purgantibus. Cucurbitulæ & venæ ſectiones, pediluvia item, dorſi, crurumque frictiones uſurpatæ ſunt non meliori eventu. Ne igitur quid intentatum reſtaret thermalium balneorum, & ſtillicidij uſum propoſuimus. Utroque remedio tractatus eſt puer triginta diebus, quibus ad Montis Ægrotorum thermas immoratus eſt, ſed fruſtraneo labore, nam neque medicationis tempore, neque poſtea quidquam profecit. Hinc monitum in praxi utiliſſimum comprobatum eſt, Congenitos morbos ab adventitijs indole, & natura differre.

# OBS. XXVIII.

## *Viſus hebetudo.*

SEptuagenarius Sacerdos Antonius Velo Parochialis Eccleſiæ S. Petri Montis Anionis Rector, phlegmatici temperamenti a multo tempore ſenſim ſibi debilitari viſionem ſentiebat; cujus rei cauſam ab aere illius loci repetebat, utpote qui nativo gravior eſſet, humidior, & thermalibus inſalubribus vaporibus (ut multi perperam credunt) vitiatus. Medicaſtro illius loci ſe dedit, qui cum eſſet ex eorum grege, qui totam vaſtiſſimam, & difficillimam medicam artem intra ſola purgantia, & ſanguinis detractiones coercent, probum Sacerdotem binis illis remedijs ſæpe, diuque tractavit. Iis non ſolum nihil levaminis experiebatur, ſed deficiente quotidie magis, magiſque viſu ad Miſſæ Sacrificium celebrandum impar fere omnino erat. In eo rerum ſtatu conſilium a me expetijt, qui cum omnia & ſingula attente perpendiſſem, cognovi non

amplius de viſus hebetudine, ſed de imminente cæcitate agi. Nam utraque albuginea extravaſato ſanguine rubeſcebat, lacrymabant oculi, dolebantque, nec liberum habebat motum pupilla: cornea inſuper non adeo pellucida ad aliqualem opacitatem vergebat. Eo morbum deveniſſe pronuntiavi, ut neque incurabilis eſſet, neque facilis curationis; optimum & efficaciſſimum ad ejus morbi curationem remedium, in ejus ditione eſſe, cujus facultas mutiplici experientia mihi innotuerat. Itaque Fontem thermalis aquæ, *Laſtræ* dictæ, parum ab Parrochiali ejus Eccleſia diſtantem indicavi, utque oculos frequenter ea aqua ablueret ſuaſi, & abluendo curaret, ut aquæ guttæ aliquæ in oculos irreperent. Hoc naturali collyrio quindecim diebus uſus priſtinam viſionem adeptus eſt, neque poſtea ullo oculorum morbo fuit obnoxius.

## *MORBI PECTORIS.*

## OBS. XXIX.

### *Aſthma humidum.*

RIchardus Gordes Anglus melancholici temperamenti trigeſimo ætatis anno aſthmate laborare cæpit. Morbus principio levis interpolatis veluti paroxiſmis ipſum affligebat, progreſſu fere continuus evaſerat, veſpere, & nocte magis ingraveſcens, graviſſimus vero in repentinis aeris mutationibus. Pituitoſam, ſpumoſamque materiam cum tuſſi excreabat, eamque ab nimia pulmonum laxitate potius, quam ab alijs cauſis repetendam eſſe exiſtimavi. Ideo mihi facile perſuadebam fore, ut, reſtituto pulmonum tono, ſi per remedia fieri poſſet, æger integre ſanaretur. Quapropter & aquæ B. Virginis potum una cum vaccino lacte, & leniſſimi balnei, temperatique hypocauſti moderatiſſimum uſum commendavi; & ut matutinis, & veſpertinis horis prope fontes latam tenens

ore

ore tubam aerem thermalibus vaporibus refertum diu reſpiraret ſuaſi. Ab initio medicatio fuit cum conferentia, & tolerantia: in progreſſu meliora omnia; poſt menſem ſanus evaſit.

## OBS. XXX.

### *Hæmoptyſis.*

SOror mea dilectiſſima Helena Bertolini ſulphurei temperamenti & ſanguinei, ex quo aliquoties parturijt varijs morbis obnoxia fieri cæpit a ſanguinis copia, & acritate provenientibus, una cum frequentibus hyſtericis convulſionibus, & leviſſimis ſcorbuticis ſymptomatibus in gingivis ſolummodo apparentibus. Quadragenaria facta ſæviente hyeme tam copioſo correpta eſt ſanguinis e pulmonibus ſputo, ut binas quotidie libras cruoris per hebdomadam excreaverit cum tuſſi, vigilijs, & febre acuta continua. Jam de ejus vita actum erat fere, ſed remediorum vi factum eſt, ut paulatim imminuta ſanguinei ſputi copia, vigeſima die ceſ-

ſa-

ſaret omnino. Cohibito ſputo, non tamen ſanata mulier, quæ in virium proſtrationem, & corporis emaciationem delapſa nihil omnino appetebat, ſicca tuſſi, & veſpertina febre vexata. In tam funeſto valetudinis ſtatu, præſtantiſſimis amicis Medicis in conſilium vocatis, omnes unanimiter imminenti phthiſi conſueta remedia propoſuimus, quibus cum exigua ineſſet ſanationis ſpes, inſuetum remedium experientia edoctus addendum propoſui, ex cujus uſu ſi nihil juvaminis, nihil certe detrimenti ſecuturum prævidebam. Aquam nimirum B. Virginis in moderata doſi cum lacte mixtam. Hæc mea opinio non omnibus arridebat Medicis, & præcipue ſenioribus; at cum ab aliquo ſaltem probaretur, eam in uſum revocare non dubitavi, ſequenti methodo. Prima die libram unam illius thermalis aquæ cum libra lactis vaccini propinavi mane jejuno ſtomacho. Subſequentibus diebus aqua B. Virginis una uncia quotidie augebatur, donec ad libras duas perventum eſt, permanente ſemper prima lactis quantitate. Poſt decimum tertium diem la-

ctis

ctis copia una uncia imminuebatur ſingulis diebus, donec pura aqua thermalis potaretur, quæ ultra tertiam libram numquam pervenit, & ſic uſque ad quadrageſimum diem, qui fuit curationis ultimus. Uſque dum lac aquæ immixtum fuit languebat appetitus, clauſa erat alvus, urina copioſa, tuſſis minus moleſta, longiores ſomni, robuſtioreſque vires. Poſt vigeſimum diem & valere appetitus cæpit, & febris fugari, corpuſque nutriri cum virium incremento; parciores erant urinæ, lubrica alvus, exigua tuſſis. Die quadrageſimo profligatis omnino ſymptomatibus omnibus priſtinæ valetudini reſtituta optime ægra nullo alio remedio in progreſſu uſa eſt, niſi frequentibus ſanguinis emiſſionibus, quæ in progreſſu vere ſolummodo inſtituebatur. Multis annis perfecte exinde convaluit, neque ullo ſanguinis ſputo correpta, neque cæteris ſymptomatibus quibus ante hæmoptyſim erat obnoxia. Octodecim jam nunc elapſi ſunt anni, ex quo in tantum vitæ diſcrimen adducta eſt ægra; adhuc bene valet, fortaſſe paulo nimium obeſa, & facile, alacri-

ter-

terque ea familiæ munera ſuſtinet , quibus ante deſcriptum morbum obeundis impar omnino erat .

## O B S. X X X I.

### *Hæmoptyſis .*

EST multorum opinio noſtrarum thermarum , & præcipue Aponenſium vaporibus in pulmones inſpiratis hæmoptoicos tuto ſanari ; idque exemplo cujuſdam phthiſici Angli eo modo perfecte ſanati balneatores noſtri confirmant , prædicantque . Verum ne ſit , an falſum decantatum illud exemplum pronunciare nolo , licet argumenta quibus ij homines utuntur ad factum comprobendum , contra ipſam facti veritatem plurimum facere videantur . Vulgatæ huic opinioni certe opponuntur nonnullæ meæ obſervationes , quarum duas tantum exponam .

Doctor Stella Medicus Hebræus Venetus uſque ad trigeſimum ætatis annum pervenit ea corporis conditione , ut non ſolum integram ,

robuſtamque valetudinem præferret, ſed & longævitatem promitteret; erat enim robuſtæ texturæ, vividi coloris, amplo thorace, bene nutritus, animo hilaris. Signis iſtis credimus, dicam cum Celſo, *fallaciſſimæ rei*. Summum ſanitatis attigerat, propterea ex Hippocr. *neque in eodem ſtatu permanere poterat, nec proficere in melius*, ideo decidit in deterius, nam ſanguinis ſputo fieri obnoxius cæpit. Principio ſola plethora accuſata eſt. Propterea & ſanguinis, emiſſionibus, & cæteris conſuetis remedijs evanuit quidem cruentum ſputum, brevi iterum proditurum. Evanuit rurſus, rurſus redijt, donec ſuperveniente hectica febri, corpore ad ſummam maciem redacto, ſpirandi difficultate, purulento, gravi, graveolenti ſputo, de phthiſi nullum maneret dubium. Medicamentis ad phthiſim laudatis utebatur, ſed ea fortuna, quam cæteri phthiſici experiuntur. Ideo ad fontes Aponi ſe tranſtulit a fontium vaporibus, atque thermalis illius aquæ tepidæ potu eandem ſanationem ſibi promittens, quam ſupradictum phthiſicum Anglum reportaſſe au-

M die-

dierat. Mecum primo collocutus, nullam bene ſperandi anſam arripere potuit, cum & Angli hiſtoriam ut fabuloſam fere reijcerem, & rariſſime ejuſmodi morbos ijs remedijs perfecte curatos vidiſſe me profiterer. Nihilominus ne afflicto afflictionem adderem, & inſpiratos vapores, & thermalis aquæ potum pulmonum laxitati opitulari me pluries obſervaſſe teſtatus ſum, neque eadem ipſa in ejus caſu, dummodo cautus & moderatus eſſet uſus, quidquam poſſe officere.

Aquam igitur tepidam Aponi cum lacte vaccino mixtam in moderata doſi bibere cæpit, quæ doſis in dies augebatur. Mane & Veſpere ( quoniam propter athmoſphæræ humiditatem craſſiores ſunt vapores ) ad fontem ſedebat longam certaceam tubam ore tenens, qua copioſiores vapores inſpirare poſſet, idque ad tres horæ quadrantes, & quandoque ad integram horam. Diebus quindecim hac methodo peractis aliquid juvaminis aut experiebatur, aut experiri ſibi videbatur: ego vero neque melioris conditionis ſputa, neque melioris nutritionis

cor-

corpus, nec validiores vires, aut robuſtiores pulſus ijs ipſis, quibus æger melius ſe habere dicebat diebus, unquam obſervavi; propterea ſuaſi ut aquam B. Virginis Aponenſi ſubſtitueret, & in minori quantitate, timebam enim ne nimia aquæ vis in exulceratos pulmones exerceretur, aut in inteſtina irrueret, & colliquativam diarrhæam excitaret. Neutrum a præocupato, & pertinaci phthiſico obtinere potui. At paulo poſt ſuperveniente immani alvi fluxu, thermali potioni finem impoſuit. Sedata diarrhæa ad Aponenſis aquæ & vaporum repetitionem redijt. Sed auctis ſenſibiliter ſingulis ſymptomatibus poſt menſem Venetias redijt ſtatu multo deteriori, ibique non multo poſt interijt.

## OBS. XXXII.

### *Hæmoptyſis.*

PIjſſimus adoleſcens Ordinis Minorum Obſervantium Reformatorum S. Franciſci Clericus Fr. Abel Mediolanenſis, gracilis, debiliſ-

que texturæ , idemque acuti , vividique , ut in hiſce morbis eſſe ſolet , ingenij , ſanguinis ſputo vexari cæpit , cui occurrerunt Medici uſurpatis ad id remedijs , quibus parum in principio , nihil in progreſſu proficientibus , increſcente diſpnæa , lentaque hectica febre , putridum , grave , & fætidum ſputum apparuit , cum notabili corporis macie. Medicorum conſilio Mediolano ad Aponi Balnea alacris ſe tranſtulit, ab aqua B. Virginis, & Aponenſibus vaporibus integram valetudinem promittentibus Medicis. Magna ſpe utroque remedio uti cæpit , quamvis præmonuiſſem ijs remedijs in ejuſcemodi morbis non tantum tribuendum , quantum vulgo crederetur. A principio medicatio facilis erat , ſed ubi ad decimum diem ventum eſt tanta erat virium proſtratio , & ſpirandi difficultas, ut ab omni prorſus thermali medela abſtinendum fuerit. Quare refecto prius optimis alimentis corpore in patriam reverſus eſt diverſa plane ac venerat de thermis in hæmopthyſi opinione.

# O B S. XXXIII.

## *Pulmonis laxitas, & debilitas a ſup-purata Pleuritide.*

PAulus Cicanius ruſticus Patavinus, thermarum incola robuſti temperamenti, vino adeo indulgebat, ut paucos in menſe dies vix inveniſſes, quibus ebrius in tertio gradu, ut ita dicam, non eſſet. Robuſtus corpore, & vino aſſuetus, non exigua, aut mediocri vini copia indigebat ut inebriaretur, ſed incredibili. Hinc frequenter pectoris inflammationibus acutiſſimis corripiebatur, a quibus tamen & facile, & brevi convaleſcebat. Sed cum eſſet quinquagenarius pleuritide correptus in maximum vitæ diſcrimen adductus eſt: nihilominus & naturæ viribus, & morbi indole in ſuppurationem converſa pleuritide, ſputorum excretione ab imminente morte liberatus eſt, ſed per plures menſes lecto detentus, ſputis copioſe manantibus, & corporis nutritio-

nem

nem abſumentibus, continua tuſſi cum pectoris dolore conjuncta, lenta veſpertina febri cum nocturnis ſudoribus, proſtratis omnino viribus, & deficiente appetitu ad tabem celerrime properabat. Suaſi nihilominus ut aquam B. Virginis ad libras tres in ſumma doſi, cum uncijs octodecim vaccini lactis recenter emuncti, & uncijs ſex aquæ Montis Ægrotorum valde calentis mixtam quotidie biberet per menſem; conceſſa ſimul ſtatim poſt prandium exigua generoſi vini quantitate, ut aliquid donarem conſuetudini, digeſtioni opitularer, & laxatis pulmonibus robur afferrem. Hac medicatione peracta, reſtitutis viribus, & appetitu, ceſſante ſputo, confirmatis pulmonibus, fugata febre, & tuſſi, nutritione reſtituta perfecte convaluit ruſticus, & ruſtica laborioſa munera robuſtus adhuc exercet.

OBS.

# OBS. XXXIV.

## *Pulmonis laxitas Phthiſim mentita.*

NAtalis de Santorniel Gallus quadragenarius vir gracilis, & proceræ ſtaturæ, ſulphureo-bilioſi temperamenti, dum Venetijs a multo tempore degeret, hyeme rheumatica continua febre vexari cæpit, quæ pulmones vel maxime impetebat. Tuſſiebat enim, non libere reſpirabat, & de obſcuro quodam ſub ſterno dolore conquerebatur. Multa remedia uſurpata ſunt nullo proſpero eventu. Ab adventu veris promittebatur ſalus, ſed adventante vere omnia in deterius ruebant; difficiliori enim reddita reſpiratione, lenta febri ad veſperas magis exaſperata, frequentiori, & fortiori facta tuſſi, graviori pectoris dolore, ſputis copioſioribus, craſſioribus, & obſcurioribus apparentibus, nocturnis circa pectus exortis ſudoribus, proſtrato prorſus appetitu, debilitatis viribus, extenuato magis magiſque gracili corpore, Medicis Venetis de incipiente phthiſi orta eſt ſuſpicio;

cio;

cio ; quare aeris mutatione imperata Patavium ſe contulit æger , ubi Cl. Medico in conſilium adhibito , phthiſicus confirmatus declaratus eſt. Sententiæ huic noluit acquieſcere Gallus , quamvis a medico notæ celebritatis proveniret. Ideo dimiſſo male ominante medico in manus celeberrimi P. P. P. Jo. A Bona ſe dedit , qui dilegentiori ſputorum inſtituto examine , accuratius febris charactere ad trutinam revocato , ſeveritate ratiocinij ſubacti ſurrexit in cognitionem cauſæ proximæ , pronuntiavitque hominem , non phthiſi , ſed lenta catarrhali febre cum pulmonum laxitate laborare. Quapropter mundatis per leniſſima pharmaca vijs primis , uſum aquæ B. Virginis cum lacte vaccino ad quartam partem mixtæ præſcripſit in ſumma doſi librarum ſex , idque quotidie per menſem. Sanatio indicat morbum. Tantum juvaminis ab hiſce remedijs adeptus eſt æger , ut de phthiſi ſuſpicio fere omnis evanuerit. Reſtabat adhuc aliqualis pulmonum laxitas , reſtabat exigua tuſſis , excreabantur craſſa ſputa ; ſingula tamen iſta erant leviora. Propterea juſ-

ſit

ſit prudens Medicus ut ad fontes Montis Ægrotorum æger ſe transferret, ibique & tepentibus uteretur balneis, & prope fontem mane & veſpere aerem thermalibus vaporibus refertum reſpiraret; in uſu inſuper aquæ B. Virginis cum lacte vaccino mixtæ perſeveraret. Nihil horum omnium prætermiſit æger per dies duo de viginti tanto profectu, ut qui ante duos menſes tabidus reputabatur, perfecte ſanus, & nutritus evaſerit.

## *MORBI INFIMI VENTRIS.*

## OBS. XXXV.

### *Ani Procidentia.*

FR. Petrus Venetus Ordinis Minorum Obſervantium Reformatorum Sacerdos ſeptuagenarius, temperamento ad cachecticum vergente, tertianis intermittentibus febribus multoties vexatus, & autumno præcipue, hæmorrhoidalibus immodicis fluxibus etiam obno-

xius, eo tandem devenerat, ut quoties alvum exoneraret toties rectum inteſtinum ad tres, quatuorque digitos foras prociderer, magnis cum doloribus. Multa remedia fruſtra Veronæ adhibuit, & præſertim adeo decantatam Simam Rubam. Poſtquam vero Medicorum ſolertiam inutiliter exercuit ad fontes Aponi declinante Auguſti menſe pervenit, meoque conſilio Aquam B. Virginis cum lacte mixtam potare cæpit, cui aliquæ unciæ aquæ calidæ Aponi infundebantur, ut laxata inteſtina, & hæmorrhoidalia vaſa facilius intenderentur. Quidam chirurgus ipſi ſuaſerat ut perforatam cannulam ligneam digiti indicis craſſitudinem, & figuram æmulantem butyro illitam in anum immitteret, atque ita in balneum deſcenderet. Ego autem cum id fieri ſine multo patientis incommodo, damno, & dolore non poſſe perſpicerem ( cannulam enim per viam a tumentibus hæmorrhoidibus anguſtatam difficillime intrudere, nec ſine dolore eidem inſidere poterat æger, & cum eſſet butyro inuncta fibras nimis laxas adhuc magis relaxando viri-

bus

bus balnei non poterat non officere ) ideo fiſtulam qua utuntur Chirurgi pro clyſteribus ſubſtitui, eique veſicam galli indici aqua thermali plenam alligandam imperavi, atque ita inducta in anum ſubtili fiſtula, plenam veſicam manu comprimebat, & thermalem aquam pluries in die ſine ulla moleſtia in rectum inteſtinum injiciebat. Victum nutrientem, atque exſiccantem, potumque caffè commendavi. Aquæ potandæ doſis non ultra tres libras erat, lactis vero unciarum octo. Quinta die non amplius prolabi laxum inteſtinum in dejectionibus cæpit, ſanguis tamen ab hæmorrhoidibus non leviter fluebat. Octava die recidiva intermittente tertiana oborta a thermali medicatione abſtinuit, atque ad conſuetum chinæ uſum confugit, quo celeriter fugata febre ad priora redijt remedia uſque ad vigeſimum diem, tuncque ceſſavit omnino ani procidentia. Perſeverante tamen hæmorrhoidum fluxu medicationem ad integrum menſem producere volebam, ſed ulterius manere æger non potuit; propterea aquam Aponi ſecum aſportavit Sacerdos qua

pro injectionibus continuandis uti poſſet. Veronam redijt, ibique licet ſevera uteretur Cænobij vivendi ratione, nihilo minus bene ſe habuit, cohibito etiam hæmorrhoidali fluxu, ut ab ejus epiſtola Idibus Aprilis inſequentis anni MDCCLXXI. data, mihi nuntiatum eſt.

## OBS. XXXVI.

### *Colica recidiva.*

BErnardus de Nigris Tyrolenſis quadragenarius, triſtis, otioſus, & meditabundus Vir a multo tempore Colicum dolorem patiebatur, frequentiſſime recurrentem. Regionem umbilicalem ſuperiorem potiſſimum infeſtabat dolor, qui a cibo magis exarcebabatur. Tribus & aliquando quatuor diebus perdurare ſolebat, & hauſtu ol. amygd. dulc. Elect. diaſcord. Fracaſtor. clyſteribus, fomentis, unctionibus cedebat; & ſi aliquando febris accederet, aut dolor eſſet ſolito gravior, ſanguinis detractionibus, & opiatis miteſcebat. At frequentes nimis erant recidivæ, nimiſque diuturnus mor-

bus,

bus, ut ad eum penitus profligandum omni molimine non contenderent medici, qui quum omnia remedia fruſtra tentaſſent, tandem ad medicatas aquas Patavinas ægrum miſerunt. Ut igitur huc pervenit aſſumpto prius conſueto ol. amygd. dulc. aquam B. Virginis quotidie potare cæpit ad libras quatuor. Principio a thermopotu augebantur tormina, non eo uſque tamen ut thermalem medicationem interdicere debuerim. Duabus horis a thermopotu elapſis, balneo ſatis calido uſque ad enſiformem cartilaginem immergebatur per horam, ibique plurimum ſudabat. Lubrica erat alvus, faciles copioſæque urinæ, mitiora erant tormina, ſegnius recurrebant; Vigeſima die ceſſarunt omnino. Sanatus abijt, ſed poſt ejus diſceſſum nihil amplius de eo ſcire potui.

## OBS. XXXVII.

### *Diabetes.*

Patavina honeſta mulier laxæ texturæ, deſidem vitam agens, dum in ea eſſet æta-

te,

te, qua menſtruæ purgationes ceſſare ſolent, copioſiores ſolito urinas habebat. Urinarum copia quotidie increſcente, acceſſit & intenſa ſitis, & virium debilitas, & corporis extenuatio. Neglectus diu morbus eo uſque increvit, donec lecto defigeretur mulier deſtituta viribus, & lenta febricula conſumeretur. Accitus ego ſingula morbi phænomena ſola partium laxitate explicari poſſe dijudicans, præmiſſa leviſſima purgatione ad roborantia, & adſtringentia deveni, quibus nihil proficientibus thermalem Montis Ægrotorum aquam frigefactam in duarum librarum doſi quotidie potandam præſcripſi, lutumque ejuſdem mineræ Patavium translatum calidiſſime ad lumbos apponi per horam, unde non levis ſudor proveniebat. Hæc per menſem uſurpata, & exuberantes urinas coercere, & robur reſtituere, & nutritionem revocare valuerunt.

OBS.

# OBS. XXXVIII.

## *Diarrhæa recidiva.*

VIcetino ſeni Sancto Trobilano ſanguineo-bilioſi temperamenti diarrhæa frequentiſſime correpto conſilium dederunt Medici, ut thermales aquas prope fontes ipſos biberet, cum illum nullo modo potuiſſent conſuetis remedijs ab eo morbo liberare, qui frequentiſſime per tres annos recurrebat. Singulis enim fere menſibus redibat alvi fluxus cum torminibus, & teneſmo: dejectiones erant frequentes, exiguæ, mucoſæ, & coloris ut plurimum ex flavo vireſcentis. Sæviebat ſitis, languebat appetitus, vires debilitabantur cum corporis macie: Diarrhæa iſta quindecim circiter diebus vigebat, poſtea totidem diebus decreſcebat priſtinum vigorem rurſus reſumptura. Quoniam vero fibrarum laxitas nimia, & inteſtinorum tonus, ut efficientes morbi cauſæ culpari poſſe mihi videbantur, ideo potum ex aquis B. Virginis, & Montis Ægrotorum in æqua doſi ſi-

mul

mul mixtis, nimirum utriuſque libram unam cum dimidio præſcripſi. Hæc potio primis diebus provocata nauſea non mediocriter alvum ciebat non ſine torminibus: exonerato ventre coccolatam ſumebat, poſtea balneum ſatis calidum per tres horæ quadrantes petebat, & plurimum ſudabat, inde lecto quieſcebat, & ſic quotidie. Uſque ad decimum quintum diem non pauciores ſolito erant dejectiones; ſed memor Hippocratis aphor. (*a*) *Dejectiones non multitudine eſſe æſtimandas, ſed qualitate, & ægri tolerantia*, in thermali medicatione progrediendum eſſe cenſui. Die vigeſima flaveſcere magis cæperunt fæces, & conſiſtentiam acquirere, quod ut optimum ſignum habui, monente eodem Hippocrate (*b*) *in profluvijs alvi mutationes excrementorum juvant, niſi ad mala mutatio fiat*. Majori igitur animo curationem ad integrum menſem produxi, qua finita finitus quoque omnino eſt triennalis morbus, nec amplius redijt.

OBS.

(*a*) Sect. pr. Aphor. 23.
(*b*) Sect. 2. Aphor. 14.

# O B S. XXXIX.

## *Dyſenteria.*

JOannes Tachinus ruſticus Patavinus uſque ab infantia acerbis fructibus æſtate & autumno abuti aſſueverat; idcirco autumnalibus periodicis febribus fere quotannis erat obnoxius. Adoleſcens factus gracili textura, eadem prava victus ratione utebatur. Hinc cum peponibus, & ficubus copioſius ſolito veſceretur, enormi diarrhæa correptus, brevi dyſentericus devenit, cum magna virium proſtratione, cibi faſtidio, acutis torminibus, febre, & mucoſis, cruentiſque dejectionibus. Ruſticorum more gravi morbo occurſum, qui lenitis quidem ſymptomatibus mitior factus eſt, ſed non ſanatus, in conſuetudinem enim abierant tormina, teneſmus, & cruentæ dejectiones, & ultra annum perſiſtebant cum increſcente virium lapſu, corporis contabeſcentia, & febre lenta continua. Adoleſcenti Medicum conſilium meum imploranti ſuaſi, ut aquam Montis Ægrotorum

calidam quotidie biberet non ultra duas libras, indicto ſimul opportuno regimine. Exigua certe erat aquæ thermalis doſis, ſed virium imbecillitati, languentique ventriculo reſpondens. Primis hauſtibus majora facta ſunt tormina, copioſioreſque, & frequentiores dejectiones cum nauſea, & quodam vomendi conatu. Sed progrediente medicatione ſenſim meliora omnia evaſerant, & quadrageſimo die finis morbo, & medelæ impoſitus eſt. Bene inde ſe habuit ſemper, ablegatis tamen acerbis fructibus.

## O B S. XL.

### *Fluxus Hepaticus.*

FElix Bianchi Patavinus in paludoſa, neque admodum ſalubri agri Patavini parte negotiorum cauſa vitam agebat, & propterea frequenter intermittentibus autumnalibus febribus corripiebatur. Ingraveſcente ætate Hepatico fluxu vexari cæpit: ejiciebatur ex alvo frequenter copioſa, aquoſa, ſubcruenta materies ſine torminibus, comitante ſimul palpebrarum, pe-

dumque oedemate, cum totius corporis obſcuro pallore. Multa domi ex roborantibus, & adſtringentibus adhibuit, ſed fruſtra; Medicus ejus ruſticanus Hydropis timore aeris mutationem imperavit, & ægrum ad Thermas miſit. Quem cum vidiſſem, licet de recuperanda valetudine non multum ſperarem, nolui tamen hominem deterrere. Quare & quotidianum potum aquæ B. Virginis cum æquali quantitate aquæ Montis Ægrotorum mixtæ ad libras duas laudavi, tum etiam levis balnei, & moderati hypocauſti uſum. Principio exaſperata ſunt ſymptomata; dejectiones magis cruentæ vividiori cruore inquinabantur: a balneo, & hypocauſto reſpirandi difficultas exoriebatur nec levis, nec magna nimis; at oedemata valde increverant, & niſi cito decreviſſent, inceptam medicationem interdixiſſent. Incredibilis manabat ſudoris copia ſine virium diminutione, ex quo conferentiæ argumentum deſumpſi. Rite procedenti ad integrum menſem medicationi fauſti ſemper effectus reſponderunt, & ægri perfecta ſanatio curationi finem impoſuit.

 OBS.

# O B S. XLI.

## *Hæmorrhoides cæcæ.*

ANtonius Biſcazza Nobilis Rhodiginus conſiſtentis ætatis, ſanguineo temperamento præditus, acutis morbis non raro correptus, vino, ſpirituoſiſque liquoribus minime indulgens, temperatus in omnibus, niſi quod ſalitis carnibus, & aromatibus conditis, vel fumo induratis plus quam par eſſet, uteretur, hæmorrhoidum doloribus paulatim obnoxius factus eſt. Per quinquennium adeo increvit morbus, ut mortem libentius, quam atrociſſimam ægritudinem præoptaret. Hæmorrhoides tam internæ quam externæ ita intumuerant, ut poſtremis potiſſimum temporibus ne ſpecillum quidem in anum immittere poſſent Chirurgi; idcirco quotieſcumque fluebat alvus ( licet quotidie uncia floris caſſiæ lubrica ſervaretur ) per ſex, vel octo horas, & aliquando ad dies in lecto ſe detinere cogebatur acerbiſſimis vexatus doloribus. Vitæ tam miſerrimæ exitum ſibi

ſæ-

ſæpius, ut ajebat, procuraſſet furibundus, niſi eximia ejus pietas anxium cruciatibus animum ſuſtinuiſſet. Toto morbi decurſu exactiſſimam vivendi rationem ſecutus eſt. Vino abſtinebat prorſus, cibi erant temperati; & ad digeſtionem faciles, moderatus motus, moderata omnia. Singulis fere menſibus binas ſanguinis emiſſiones ſuſtinuit, & ad remedia quod attinet, ea omnia in uſum revocavit, quæ a peritis Medicis proponebantur. At morbus non ſolum remiſſionis nihil, ſed plurimum incrementi ſenſim capiebat. Patavium tandem deſperatus fere pervenit, ut Præclariſſimi Viri, & Celeberrimi Chirurgiæ Publici Profeſſoris Hieronymi Vandellj conſilio uteretur. Attente perpenſis omnibus, examinata quoad potuit dolenti parte, latentis fiſtulæ ſe obtulerat ſuſpicio, at interrogato ægro an unquam puris guttulæ ex ano apparuiſſent, eodemque reſpondente obſervatas fuiſſe nunquam, præſentis fiſtulæ evanuit timor, quamvis futuræ non deeſſet argumentum. Quapropter in eo Vir Clariſſimus auctor fuit, ut æger domum redditus

præ-

præmiſſis generoſioribus venæ ſectionibus quotidie mane uncia floris caſſiæ uteretur, ne indureſcentes fæces majora in egrediendo tormenta excitarent; uteretur præterea refrigerantibus, & humectantibus decoctionibus, & emulſionibus, a clyſteribus abſtineret, externiſque hæmorrhoidibus aliquando frigidiſſimam aquam, quandoque vero glaciem apponeret; quæ omnia niſi votis reſpondiſſent ad Montis Ægrotorum balnea ſe transferret, ibique præter immerſiones, etiam illius thermalis aquæ potum experiretur. Pervenit ergo ad ſupradictos Fontes circa finem Auguſti anni MDCCLX. morbo & itinere vexatus valde, neque ea die ſedere unquam potuit. Poſtridie libram unam calidæ aquæ Montis Ægrotorum potandam exhibui, efficaciorem redditam infuſione ſemiunciæ ſalis ex eadem aqua extracti. Hæc poſt horas ſeptem mediocriter bis ſubduxit ventrem: dolores hæmorrhoidales acerbi excitati ſunt in dejectionibus, non tamen tanti ut Nobilis æger lecto detineri cogeretur. Quinta hora circiter a prandio in balneum deſcendebat ſatis calidum,

dum , ibique multum ſudabat , poſtea lecto decumbebat donec ceſſaret ſudor. Veſpere, & nocte ſupra dolentem partem ſpongiam detinebat eadem thermali aqua , ſed frigida imbibitam: inſequentibus diebus bis balneo utebatur per horam. Quotidie mane doſis potandæ thermalis aquæ una libra augebatur uſque ad octavam diem , inde quotidie una pariter libra imminuebatur. Aqua iſta primis diebus alvus ſervabatur laxa , cæteris ſic ſatis , cum major ejus copia urinæ vias teneret. Ab ipſo medicationis initio multum levaminis percepit æger ; at die tertia cum quaſdam veluti puris guttulas in induſio obſervaſſet , affligebatur valde fiſtulæ ſuſpicione , quæ quidem ſenſim evanuit , cum in dies imminui morbum ſentiret , nullaſque exinde puris maculas conſpiceret. Quarta die binas ſanguinis libras detrahi juſſi , ex quibus, cum eſſet jam a longo tempore aſſuetus , ne minimum quidem debilitatis ſenſum animadvertit. Poſt duas hebdomadas perfecte ſanus diſceſſit : domum reverſus ea ipſa thermali aqua aliquanto uſus eſt ad præſervationem tantum,

non

non curationem , ex quo enim convaluit , nullum uſque ad hoc tempus , ut ex ipſo ſcio , prædicti morbi inſultum perſenſit.

## O B S. X L I I.

### *Hydrops Anaſarca.*

FRanciſcus Roſſetto ruſticus patavinus Hydrope Anaſarca diu affectus ad balnea Sanctæ Helenæ ſe tranſtulit , quorum uſu extenuari aliquantum videbantur artus, & abdomen, manente tamen & ſiti , & reſpirandi difficultate. Eam extenuationem tanti faciebant & balneatores , & æger ipſe, ut fere ſanatus crederetur. Subridebam ego qui nullam habebam in deſperato & nimis provecto morbo ſpem , eamque extenuationem non imminuto morbo, ſed ſudorum copiæ a balneorum , & hypocauſti calore expreſſæ tribuebam eſſe, unde debilitatis magis fibris , fractiſque viribus tumidiores in progreſſu futuros artus , & abdomen prænuntiabam. Quod cum intra paucos dies eveniſſet, de ſanatione nihil amplius ſperantes a me petie-

tierunt, num cucurbitulæ ſcarificatæ cruribus tumentibus applicitæ opitulari poſſent, hydropicam, ut ajebant, eliminando materiem. Iis reſponſum dedi hydropicam materiem ad artus quidem pervenire, ſed hydropis cauſam ab ijſdem valde diſtare; nec quidquam aliud a cucurbitulis præſtari poſſe niſi ulcera nulla arte ſanabilia. Clam appoſuerunt tamen, copioſus manavit hydropicus fluor, & paucis exinde diebus mortuus eſt æger.

## OBS. XLIII.

### *Hydrops Aſcites.*

RUſticus quidam ex Caſtro Franco annorum circiter quadraginta quinque, jam diu hydropicus aſciticus nullo prorſus remedio ſudores aut urinas promovere poterat. Morbo tandem ad extremum fere gradum properante, conſilio Cl. P. P. P. Jacobi Placentini ad thermas venit, a quibus integram valetudinem ſperabat. Ego vero quid inde mali timendum eſſet præmonui, & pluribus argumentis deterre-

bam, ne in nimis provecto morbo periculoſum remedium experiri vellet. Fruſtra omnia, nam pertinax ruſticus poſtero mane modico cibo refectus in moderati caloris balneum deſcendit: poſt pauca horæ minuta copioſus undique fluebat ſudor; ſed aucta ad extremum reſpirandi difficultate, in lypothymiam incidit, & quam citiſſime lecto reponi debuit. Mortis timore adeo perterritus fuit, ut refectis quoquomodo viribus diſcedere voluerit, propria experientia edoctus, ijs potius fidem eſſe præſtandam, qui diuturna obſervatione, & quotidiana experientia ſuffulti probabiliter eventura prænuntiant, quam ijs qui bona vel mala remediorum effecta audacter ſtatuere volunt per theoreticas inductiones, aut ſyſtematica principia.

## O B S. XLIV.

### *Hydrops Aſcites.*

FRater Georgius Ferrarienſis Monachorum Olivetanorum Laicus quinquageſimum quin-

tum

tum annum agens hydropicus aſciticus factus eſt. Purgantibus, diureticis, diaphoreticis, & multis alijs medicis præſcriptionibus jamdiu utebatur, ſed increſcebat abdomen, emaciabantur artus, difficilior erat reſpiratio, intenſior ſitis, debiliores vires, languidior appetitus, concomitante febre lenta continua. Accedebant & animi defectiones, quarum aliquæ cum omnimoda motus & ſenſus abolitione ita erant conjunctæ, ut pro mortuo haberetur. In hiſce maniſeſtiſſimis proximæ mortis indicijs non defuit quidam medicus, qui ægro inculcaret, illum ab uſu balneorum Patavinorum ſanari poſſe. Facile homines quæ cupiunt credunt. De repente Ferraria diſceſſit Monachus, meque ad Montis Ægrotorum thermas convenit. Omnia & ſingula ad morbum pertinentia expoſuit; id unum celavit, nimirum ad cæteras calamitates herniam inteſtinalem accedere. Ego vero in eo morbi ſtatu non ſolum nocitura balnea pronuntiavi, ſed inſuper enixe ægrum rogavi, ut quam citiſſime in Patriam rediret, nec imprudenter nimis remediorum actiones experiri

vellet, quibus ſuſtinendis impar omnino futurus fuiſſet. Nullo argumento evincere potui: experiri voluit balneorum uſum: expertus eſt non proprio, ſed cæterorum beneficio: *felix enim quem faciunt aliena pericula cautum.* Leni licet uteretur balneo, ad breviſſimum tempus, cibo prius refectus, & alternis tantum diebus, aucta tamen reſpirandi difficultate, infirmatis viribus, languebat appetitus, noctesque habebat inſomnes. Sexta die ſumpta alacriter moderata cæna lectum petijt, in quo ſequenti mane mortuus inventus eſt, liquidis fætidiſſimis excrementis immerſus.

## OBS. XLV.

### *Icterus ab Hepatis obſtructione.*

FRanciſcus Altimonta Tyrolenſis deſidi, triſtique vivendi rationi deditus, dum conſiſtenti adhuc eſſet ætate cibos averſari cæpit, deque gravitatis ſenſu in dextero hypocondrio, ſive, ut Hippocratis verbo utar, de *Hypochondriorum ſatietate* conqueri, quæ moleſta

 ſen-

ſenſatio ab aſſumpto cibo incrementum ſumebat. Dum per plana inclinata ambulabat difficulter reſpirabat, facieſque ſubjcterico colore velabatur. Purgantibus, emeticis, digeſtivis, deobſtruentibus, fomentis, emplaſtris, inunctionibus diu tractatus fere nihil profecit; quin auctis ſymptomatibus, teterrimo colore, & increſcente in dextero hypocondrio plano, duroque tumore emaciabatur in dies æger, & in deterius ruebat. Demum ad me miſſus eſt calidiſſima tempeſtate, ut eum thermalibus remedijs ſubijcerem. Purgato igitur prius corpore quotidie mane tres libras aquæ B. Virginis propinabam cum Crem. tart. quæ ventrem, & ſedimentoſam urinam ciebat: in leniſſimum balneum inde deſcendebat ad ſternum uſque per horam. Veſpere ſtillicidium ex aqua Montis Ægrotorum valde calida ſupra dexterum hypochondrium hac illac patiebatur horæ ſpatio, unde rubeſcebat intenſe ſubjecta pars. Poſt dies octo, præter ſtillicidium affecto hypochondrio lutum valde calidum S. Bartholamæi apponi juſſi per tres horæ quadrantes;

qui-

quibus magna ſudoris copia eliciebatur. Luto S. Bartholamæi decies adhibito, expandi magis, & emolliri magis tumor mihi viſus eſt. Priori luto illud Montis Ægrotorum ſucceſſit quindecim diebus, quibus imminutus eſt tumor, evaneſcebat cinereus color, pondus inſenſibilius evaſit reſtituto appetitu. Denique per hebdomadam lutum S. Petri Montis Anionis propińatum, quo medicatio peracta eſt; & æger feliciter ſuperato morbo renovatus in Patriam redijt.

## O B S. X L V I.

### *Lienteria.*

FRanciſcus Grigoletto Patavinus melancholico temperamento ab adoleſcentia male & difficulter ciborum digeſtionem conficiebat. Ab diuturna ventriculi debilitate in Lienteriam incidit, unde alimenta parum mutata ab ea, qua aſſumpta fuerant, figura frequenter deijciebantur. Deficiebant vires, & ad atrophiam æger ducebatur. Principio evacuantibus præmiſſis, inter-

ter-

ternis ſtomachicis ægrum tractavi : deinde ut quotidie mane libram unam & ſemiſſem thermalis aquæ Montis Ægrotorum frigefactæ biberet ſuaſi. Quadraginta diebus ſic tractatus æger perfectam valetudinem adeptus eſt.

## OBS. XLVII.

### *Lithiaſis.*

BArtholamæus Battaggia Venetus pacatiſſimæ indolis juvenis, morumque integritate eximius, atrociſſima Lithiaſi ſæpe ſæpius conflictatus fuerat cum maximo vitæ periculo. Ab multorum remediorum uſu, exactiſſimoque regimine aliqualem morbi alleviationem obtinuerat, ſed guttatim, frequentiſſime, & multis cum conatibus, & quandoque irritis mictuiebat, noctes habebat inſomnes; in urinis copioſa erant, & mucilaginea ſedimenta, arenulæque, & de lumborum dolore frequentiſſime conquerebatur. In hoc ærumnoſo ſtatu expertiſſimi P. P. P. Jo. A Bona conſilio uſus, ad Montis Ægrotorum thermas ſe detulit, ut vi-

ci-

cinæ aquæ B. Virginis potu uteretur. Quatuor aquæ libras quotidie ſumebat libris duabus vaccini lactis mixtas. Singulis inſuper quaternis diebus veſpere uncia floris caſſiæ ægro propinabatur ante breviſſimam cænam. Viginti diebus perduravit hæc medicatio, tantumque levaminis in ſingulis ſymptomatibus apparuit, ut & ægri, & Medicorum ſpem ſuperaret. Evanuit enim lumborum dolor, una vice continuatam reddebat urinam ſine multo, aut gravi conatu. Diſparuerunt arenulæ, tranquillæ erant noctes reficiente ſomno non deſtitutæ, & ad mucilaginea ſedimenta quod attinet, ea erant adeo exilia, ut non niſi diligentiſſime perſcrutanti in tenuiſſima quantitate, & albiſſimo colore ſeſe offerrent. Integerrimum hunc juvenem perfecte ſanatum fuiſſe non facile crediderim; at in inſanabilibus, deſperatiſque morbis quid amplius rationabiliter ab ullo remedio ſperari poteſt?

OBS.

# O B S. XLVIII.

## *Nauſea , & Vomitus.*

AMici mei Patavini matura viro filia, cum ea eſſet ætate, qua ſtimulante natura de conjugio excitantur frequentes, forteſque cogitationes, nec propter quaſdam peculiares cauſas nubere poſſet hæc puella, in tantum incidit animi pathema, ut aſſidua anxiam mentem obruente triſtitia, venuſtate, vividoque colore deperditis, ægrotare cœperit. De inappetentia, & ventriculo male digerente ſæpe conquerebatur, quibus aut abſynthij tinctura, aut ſucco limonum occurrebat. Menſium fluxus erant difficiles, & interrupti, propterea calida pediluvia, & frictiones ad artus inferiores adhibebantur. Progredientibus hiſce incommodis ſupervenit nauſea fere continua, quæ brevi in vomitum deſijt. Vomitus ter ut plurimum, & aliquando etiam quater in die recurrebat: materia quæ excernebatur erat exigua, alba, pituitoſa, denſa, neque ſine fortibus conatibus

excernenda ; cæterum ab ejecta materie quies ſuccedebat : vomitiones primo mane , & veſpere maxime invaleſcebant. Conſuetis remedijs nihil juvantibus , ut libram unam aquæ Montis Ægrotorum frigidæ quotidie mane poſt primam evomitionem biberet commendavi. Ab hoc potu primis vicibus proritabatur vomitus: non deſtitit tamen ab thermali potione puella per tres hebdomadas , & ab omni vomitu prorſus , & nauſea ſanata eſt. Sanata prophylactico remedio certe indigebat , illudque a fortuna prudentiſſimæ Virgini paulo poſt ſubminiſtratum eſt ; robuſto enim , & diti juveni nupſit , a quo fæcunda pluries reddita non alio evomuit , quam uteri geſtationis tempore.

## O B S. XLIX.

### *Stranguria.*

AMicus meus Patavinus civis , calidiſſimi temperamenti , ſedentariam vitam agens ſtranguria circa juventutis declinationem laboborare cæpit : urinam acrem , olentem , & valde

de rubram guttatim reddebat cum acerbis doloribus. Poſt duos menſes, quibus ita cruciatus fuit, inſtitutis prius binis ſanguinis detractionibus, oleoque amyd. dulc. cum ſyrup. de althea propinato, quotidianum potum trium librarum aquæ B. Virginis cum uncijs octo lactis vaccini ebullientis mixtæ per triginta dies præſcripſi hic Patavij hyemis tempore. Lene hoc medicamen validioribus fuit efficacius, nam & dolorem, & omnem reddendæ urinæ difficultatem omnino abſtulit.

## O B S. L.

### *Tumor Scirrhoſus Abdominis.*

PAuperrima quædam provecta Virgo Patavina Paulina Vergazzi ea continentiæ diſciplina, de qua adhuc diceret Martialis (*a*) *Sis Patavina licet*, a prima uſque adoleſcentia fluxus menſium patiebatur non rite fluentes; quandoque enim per duos, vel tres menſes deficiebant omnino, quandoque vero imminue-



(*a*) Lib. 2. Epigr. 17.

bantur . Semper tamen menſtruas excretiones præcedebant non levia ſymptomata, febris lenta nimirum, gravitas totius corporis, capitis & lumborum dolor, virium proſtratio, dejectus appetitus, ventris tarditas, lypothimiæ, & hujuſmodi alia. Temperamento erat ad cachexiam vergente, meditabunda, & triſtis fere ſemper. Sine ullo dolore in umbilicali inferiori regione, paulo ſiniſtrorſum apparere cæpit tumor exiguus, durus, qui biennio adeo increvit, ut magnitudine maximum pomum exæquaret. Ejus ſuperficies, quantum tactu cognoſci poterat, ſcabra erat & inæqualis : ſi comprimeretur, intra inteſtina ſeſe abſcondere videbatur. Faciei color erat ex albo cinereus. A Medicis diutius tractata multiplicibus internis, externiſque remedijs, & inter cætera adeo decantatæ Cicutæ uſu, non ſolum nihil profecit, ſed tumor magis magiſque increſcebat cum levi a muſculari motu reſpirandi difficultate. Rogatus ego, ut aliquid provecto increſcentique morbo præſcriberem, ſuaſi, ut ad thermas Montis Ægrotorum ſe transferret, meum ibi auxi-

xilium, tum quoad curationem, tum quoad victum, pollicitus. Poſtero ab ejus adventu die aqua B. Virginis cum ſale Aponenſi corpus purgavi, tum ejuſdem aquæ uſus in trium librarum doſi ad quindecim dies productus; unde ſoluta erat alvus, faciles, & copioſæ urinæ: appetitus invaleſcebat, cinereuſque color ad naturalem accedebat. Quotidie ſtatim ac ex urinarum copia thermalem aquam eliminatam eſſe conſtabat, ſtillicidium ex aqua Montis Ægrotorum ſupra ventrem ad horam ſuſtinebat, & circa veſperas lutum S. Bartholamæi item per horam. Stillicidij uſu intenſus quidam rubor in abdomine ſe prodidit, ut & purpureæ puſtulæ cum cutis aſperitate, & duritie. Lutationum tempore immanis profluebat ſudor, & obtuſus quidam dolor, lenis tamen, circa tumorem perſentiebatur, qui detracto luto prorſus evaneſcebat. Primis diebus non mediocriter augeri tumor viſus eſt, quod augumentum experto minus Medico facile impoſuiſſet, ne remedium repeteret. Ego vero thermalem medicationem uſque ad vigeſimam quintam diem

pro-

protraxi; & cum obſervaſſem poſt ſextam diem robuſtioribus factis viribus, vividiori appetitu, meliorique colore ſenſim imminui tumorem, priori luto illud Montis Ægrotorum ſurrogavi. Peracta curatione evanuit omnino tumor, bene valebat Virgo, & copioſus menſtruus fluxus apparuit, qui poſtea bene ſe habente muliere nunquam conſuetos naturæ modos pertranſijt.

Multa in hac hiſtoria obſervatu digna ſe offerunt. Primum cujus generis fuerit Abdominis tumor? ſecundo unde originem duxerit? tertio quam ſedem habuerit? quarto cur tot remedijs reſtiterit? quinto cur thermali medela prius auctus, poſtea integre ſanatus? ſexto denique cur poſt ejus reſolutionem menſtruæ purgationes rite fluxerint?

Quoad primum, ex tumoris duritie, inæqualitate, ſcabritie, & indolentia, illum ex genere Scirrhoſorum fuiſſe pronunciare non dubitaverim, licet ſcirrhoſam duritiem non haberet omnino.

Ejus vero origo & a melancholico tempera-

men-

mento, & a deſide triſtique vita, & a pravis cibis, & a cælibatu, & a provecta juvenili ætate, & præcipue ab imminutis, aut deficientibus menſtruis excretionibus videtur repetenda. Ex omnibus enim hiſce lenti, viſcidi, inerteſque humores procreantur, qui in glandulosis, & laxis infimi ventris partibus, in quibus etiam ſecundum naturam lentus eſt humorum circuitus, accumulantur, ex quorum peſſimis collectionibus enormes obſtructiones, peſſimique tumores gignuntur.

Sedem vero ejus non tam facile indicarem; nihilominus eam vel in Omento, vel, quod veriſimilius, in Meſenterio ſtatui poſſe, quidquid per tactum exploratum eſt ſuadet.

Et Scirrhoſorum tumorum cum ea ſit natura, ut pluribus ſemper, omnibus frequenter remedijs reſiſtat, quid mirum ſi quæcumque prius adhibita ſunt, quin & ipſa Cicuta, nihil profecerint, morbuſque conſtanter increverit?

Quod vero thermalibus remedijs auctus primum fuerit tumor, poſtea evanuerit, inde re-

pe-

petendum videtur, quod impacta materies cum primum attenuari vi remediorum cæpit, id fieri ſine humoris ſtagnantis rarefactione non poterat, ex qua rarefactione tumorem augeri neceſſe erat; ab vaſorum vero diſtentione procedebat dolor, de quo lutationum tempore conquerebatur ægra. Cum vero morboſus humor ad eum tenuitatis gradum, remediorum & naturæ viribus perductus eſt, ut & per vaſa moveretur, & per emunctoria eliminari inciperet, paulatim tumor decreſcere, tandemque perfecte reſolvi viſus eſt.

Attenuatis ſic, & in motum actis humoribus, ab eorum majori impetu non dilatari vaſa non potuerunt, & ea præſertim quæ circa uterum ſunt. Expeditis uterinis canalibus, reſolutis impactis humoribus, & majori vi circumeuntibus, impeditus antea menſium fluxus, regulariter poſtea fluxit, & cachecticus color in vividum naturalem mutatus eſt. Quæ omnes mutationes non ſolum thermalibus remedijs, ſed & optimis alimentis tribuendæ videntur.

*MOR-*

# *MORBI MULIERUM.*

## O B S. L I.

### *Clavus Hyſtericus.*

LUcretia Pagan Vicetina, Lucretia nomine, & moribus, ad quadrageſimum circiter ætatis annum pervenerat ea morum ſeveritate, & continentiæ diſciplina, qua, ſi ab apparentibus perfectum judicium inferri poteſt, caſtimoniæ exhiberet verum exemplar. At miſera nimis, & iniqua eſt, ut ait Freindius (*a*), fæminarum conditio! quamcumque enim vitæ rationem ſequantur, paucæ ſunt quibus contingit doloris expers, & illibata ſanitas; quippe ſi conjugio fruantur ex eo ipſo leporum fonte amari aliquid ſurgit, & longa ſaltem tædia, ſi nihil aſperius, ſecum affert graviditas: ſi cælibi otio ſe tradant, vix ita ſibi cavere poſſunt, quin morbo aliquo laborent ob id i-

R pſum,

(*a*) In præfat. ad Emmenolog.

pſum , quod gravidæ non fiunt . Frequentior tamen muliebris cælibatus morbus Paſſio hyſterica eſt , quæ varia in varijs omnes fere mentitur morbos. Uterum non perperam omnium muliebrium morborum cauſam dixit Hippocrates. (*a*) Propterea & hæc Lucretia menſtruis purgationibus non rite fluentibus per multos annos varijs hyſtericis ſymptomatibus vexabatur , donec Clavo hyſterico continuo defigeretur , comitante ſimul lenta febricula , cum appetitus carentia , virium proſtratione , graciliſque corporis extenuatione. Medicam ſedulitatem eluſit ſemper chronici morbi difficillima indoles. Cum nullum aliud reſtaret intentatum remedium , de Patavinis thermis incidit cogitatio , & ad me miſſa eſt ægra , ut quidquid de thermalibus remedîjs opportunum cenſerem experirer. Igitur cum ad finem Julij perveniſſet , & ab ea intellexiſſem ſatis & ultra præparatum prius fuiſſe corpus ſanguinis detractionibus , purgantibus , demulcentibus , reſolventibus , diaphoreticis , alijſque plurimis ,

ab

(*a*) Lib. 2. de Morbis Mulieb.

ab omni prorſus interno remedio abſtinendum eſſe ſtatui, ne viribus infirmis, debilitatoque ventriculo officerem. Itaque quotidianum balnei, & ſtillicidij ex aqua Montis Ægrotorum uſum per dies quindecim imperavi. Balneo utebatur mane per horam leniſſimo caloris gradu: poſt balneum lecto detinebatur per ſemihoram: utrobique moderate ſudabat. Hora quinta pomeridiana ſtillicidium ad tres horæ quadrantes ſupra caput ſuſtinebat adeo calidum, quantum ſine maxima moleſtia ferri poſſet. Sudabat caput quamplurimum. Poſt hebdomadam menſtruus fluxus a longo tempore interceptus apparuit, neque admodum excedens, ita ut medicationem potius prorogare, quam ſuſpendere coegerit. Omnis fere febris evaneſcebat, imminuebatur valde perfodiens dolor. Cum vero de non levi lumborum dolore conquereretur ægra ipſo menſtruæ purgationis tempore, thermale cænum lumbis bis apponi juſſi, unde patentiora fieri uterina vaſa, torpentiumque humorum circulum promoveri poſſe mihi facile promittebam. Neque ſpem exitus feſel-

lit ; nam poſt quindecim dies integerrima valetudine diſceſſit.

## OBS. LII.

### *Fluor albus cum Maraſmo.*

MUlier quædam Veneta probo, honeſtoque viro nupta ( utinam ut mariti fortunæ non exiguæ conſors, ſic & ipſius morum imitatrix ) omni fere pudore poſthabito libertinis ſeſe dederat, qui diſſolutæ mulieri virulentam gonorrhæam non ſemel impartiti ſunt; eumque morbum cum innocenti Marito communicaſſet, impudenter, & audacter viri querelas in ipſum retorquebat, ipſum tanquam communis morbi cauſſam incuſans, juxta illud Juvenalis. (*a*)

............. *Nil eſt audacius illis*
*Deprehenſis ; iram , atque animos a crimine ducunt .*

Gonorrhæarum in utroque perfecta ſemper fuit ſanatio ; ſed mulier ut ad trigeſimum quin-

(*a*) Sat. VI. verſ. 282.

quintum ætatis annum pervenit fluxu albo laborare cæpit, qui ab initio novæ virulentæ gonorrhææ ſuſpicionem intulit, quæ quidem ſuſpicio novis inſurgentibus ſymptomatibus ſenſim evanuit. Copioſior fiebat in dies fluxus, pravioriſque odoris, atque coloris: poſt duos annos integre ſuppreſſis menſtruis purgationibus, languente appetitu, proſtratis viribus, contabeſcentia corporis non levis obſervabatur. Non ſolum antivenerea, ſed & probatiora ad album fluxum, & uteri profluvium remedia fruſtra uſurpata ſunt, exaſperato potius morbo. Ego in conſilium vocatus aquam B. Virginis cum lacte mixtam propoſui, & balnea etiam Montis Ægrotorum, quorum vires in uterinis morbis mihi probe erant perſpectæ. Leniſſime igitur prius purgato corpore quotidie duas aquæ libras ſumebat cum libra una ebullientis, & colati vaccini lactis: potio hæc a ventriculo optime ferebatur, idque appetitus incrementum comprobabat. Poſt duodecimam diem aucta eſt potionis quantitas una libra, uſque ad vigeſimam quintam diem: ægra melius

lius ſemper ſe habebat. Bis quotidie leni balneo utebatur per horam, leniterque ſudabat; fluor imminuebatur, nec olebat, tenuior erat, blandior, albique coloris. Menſe expleto, ceſſante omni fluore, & refecto corpore reſtituta ad optimam valetudinem mulier læta diſceſſit.

## OBS. LIII.

### *Fluor albus, ſive Gonorrhæa vera Muliebris.*

HOneſta juvenis Patavina mulier, laxæ texturæ, melancholici temperamenti, quater enixa, ex quo ultimo parturijt album fluorem pati cæpit. Principio ſine ulla moleſtia materia ſtillabat alba, glutinoſa, & interruptim, ſed in progreſſu perennior, fluidior, pravi odoris, obſcurique coloris. Facies alioqui pulchra ſatis, pallido colore fædari cæpit, dorſum, lumbique dolebant, doloris ſenſu ad pubem, & coxendices propagato, tumebant oedemate pedes; vires, & appetitus infirmabantur. Ut erat verecunda nimis,

mis, tandiu celavit morbum quandiu illum ſine magno incommodo, ſuſtinere potuit. Sepoſito igitur inutili pudore Medico ad multos menſes ſe dedit, qui vulgatis eam ægritudinem remedijs fruſtra tractavit. Meam opinionem petenti reſpondi, in conſimilibus morbis thermalia balnea utiliſſima pluries me expertum fuiſſe. Quare ad Montis Ægrotorum fontes ſe detulit verecunda mulier, ibique per duas hebdomadas quotidiano balneo uſa eſt, per horam; quotidie quoque tres libras aquæ B. Virginis potavit. Hæc remedia priſtinæ valetudini diu ægrotantem mulierem, & ad tabem properantem revocarunt.

## O B S. L I V.

### *Menſium fluxus immodicus.*

JUlia Carlini Vicetina, temperamenti ſanguineo-bilioſi, dum annum ageret ætatis ſuæ trigeſimum octavum, & ſæpius parturijſſet immodicos menſium fluxus habere cæpit. Per ſex menſes adeo increvit morbus, ut nul-

la

la ſervata periodo perpetuo manaret ſanguis cum ſumma virium proſtratione, corporis macie, dejectoque appetitu. Irritis ad id morbi vulgatis remedijs, vix ad breve tempus e lecto ſurgere valens, de recuperanda valetudine fere deſperans, mulierculis quibuſdam ( ut moris eſt ) fortunate credidit, quæ Patavina balnea ad cælum uſque extollebant, & pro univerſali tutiſſimo remedio prædicabant. Nullo prius adhibito in conſilium Medico, quo potuit modo ad Montis Ægrotorum balnea per errorem viæ pervenit; conſtituerat enim Aponum petere. In itinere tantum virium, & ſanguinis deperdidit, ut per hebdomadam lecto ſe detinere coacta fuerit, nutritivo, blando, & ſubadſtringenti alimento utens ad prolapſas vires, quantum fieri poſſet, reficiendas. In tanta dejectione vix audebam vel leniſſima balnea experiri; auſus ſum tamen ſed tenui adeo calore, ut ſani corporis caliditatem non excederet, nec ultra quindecim horæ minuta. Prima die in balneo paulo plus ſolito effluxit ſanguis, at non propterea inſequentibus diebus eodem re-

me-

medio abſtinendum cenſui; cumque animadvertiſſem imminui ſenſim fluxum, ad horam uſque produci balneum juſſi, minime aucto calore. Priuſquam balneum adiret decoctum ſumebat ex fol. urtic. cum aqua Montis Ægrotorum parato, cui immiſcebantur ſex unciæ lactis vaccini. Imminuta ſanguinea excretione corpus ſenſibiliter nutriri, vireſque firmari cæperunt. Spongiam aqua Montis Ægrotorum frigefacta imbutam intra vaginam detinebat. Quarto quoque die uſum balnei interdixi, virium infirmarum habita ratione. Elapſo ab ejus adventu menſe, ſana prorſus evaſit: Fluxus cohibitus, vires reſtitutæ, corpus nutritum, color optimus, appetitus vigens renovatam mulierem indicabant. Exactam poſtea vivendi rationem ſecuta eſt, & bene ſemper ſe habuit, menſibus rite fluentibus.

# OBS. LV.

## *Menſium ſuppreſſio cum Hydropis ſuſpicione.*

ANna Bonavilla Patavina circa trigeſimum ætatis annum varijs ægritudinibus obnoxia erat; Capitis nempe doloribus, inappetentiæ, ſpontaneis laſſitudinibus, ventris, pedumque tumoribus. Hæc quotidie increſcebant, & frequenter lenta erratica febris accedebat, unde vires, & nutritio quotidie magis imminuebantur, color ad cachecticum vergebat, menſiumque fluxus primo extenuari obſervatus, demum omnino evanuit. Sanguinis detractionibus, purgantibus, deobſtruentibus, emmenagogis, chalybeatis, diverſimode, & diutius tractata non ſolum nihil profecit, ſed increſcente abdomine, ſpirandi difficultate, ſitique oborta, lentaque febri continuo vexata, Hydropica a Medicis reputata, atque ut talis tractata eſt. Poſt multiplicem remediorum uſum, tandem &

Apo-

Aponenſia balnea propoſita fuere, utpote quæ ſudorem vehementer elijciendo hydopricos omnes ſanare crederentur. Ego vero in conſilium vocatus, thermalium balneorum uſum non ſolum non reprobavi, ſed ut præcipuum in eo morbo remedium laudavi, non propterea quia thermas omnibus hydropicis juvare multiplici experientia mihi conſtaret, ſed quia in menſtruis ſuppreſſionibus, ſingulisque ab ijs provenientibus ſymptomatibus multum prodeſſe ſæpius vidiſſem: non enim hydrope laborare hanc mulierem cenſebam, ut alij, ſed ſola menſium ſuppreſſione, ex qua cætera ſymptomata derivarent. Tartareis igitur prius purgato corpore, Aponi balneis uti cœpit, primis diebus ſemel in die, inſequentibus vero etiam bis, & uſque ad horam. Vehementiſſime ſudabat in balneo, & tota die levi madore perfundebatur. Ab initio balnei uſum non facile ſuſtinere poterat propter auctam reſpirationis difficultatem. Quarta die majori facta febri balneo abſtinuit, & quietem imperavi; qua ſola ſedata eſt febris, cum à vi balneorum ( ut ſæ-

piſſime accidit in debilibus corporibus ) proficiſceretur. Rurſus balneis uti cæpit, quæ facilius ſuſtinens, leviora ſymptomata experiebatur. Decimo die in ipſo balneo ſanguinem e genitalibus leniſſime fluere obſervavit. Poſt prandium ejuſdem diei balneum ingreſſæ rurſus apparuit ſanguis, ut & poſtero die: ſed finito balneo ceſſabat omnino ſanguinea excretio. Tertia die aſſidue & extra balneum ſtillare cæpit ſanguis, & per integram hebdomadam non ceſſavit. Eo tempore non ſolum balnea non interdixi, ſed etiam præſcripſi. His effectum eſt, ut poſt viceſimum diem, omni prorſus evaneſcente ſymptomate perfecte ſana evaderet, reſoluta ventris tumiditate, fugata febre, appetitu ſin minus nimio, ad naturalem certe reſtituto, & cachectico colore in vividum ſanguineum mutato. Patavium reverſa exacte poſt trigeſimum diem menſtruum fluxum habuit aliquibus ſtipatum ſymptomatibus, ſed peracta fluxus periodo ſponte ceſſantibus; Conſtantes exinde fuerunt uteri purgationes, & naturæ modum nunquam excedebant.

OBS.

# O B S. LVI.

*Vaginæ & pudendorum laxitas nimia.*

COnquerebatur mecum Amicus meus de Uxoris pudendorum & vaginæ laxitate, cujus gratia omnis fere coitus voluptas evaneſcebat. Juvenculam uxorem duxerat exilis texturæ, molliſſimæque fibræ, ex qua tres habebat pueros. Quid albiſſimi, & glutinoſi humoris paulo plus ſolito e prudentis hujus mulieris pudendis exigue fluebat: cæterum ſana, & robuſta erat, vividique coloris. Suaſi propterea, ut frequentibus in vaginam injectionibus uteretur ex aqua Montis Ægrotorum frigefacta, ſpongiamque eadem aqua imbutam intra pudenda aſſidue teneret, & a coitu per aliquod tempus ſeſe abſtineret. Exoptatus conſecutus eſt effectus; nam viginti diebus reſtituto relaxatis partibus elatere, exoptata genitalium coarctatione, irriguus nimius humor imminutus eſt.

OBS.

# OBS. LVII.

## *Vaginæ procidentia a partu difficili.*

PAtavina Matrona, generis claritate illuſtris, ſed morum integritate, & ſuavitate adhuc illuſtrior, poſt partum valde difficilem in tantam incidit partium ad geſtationem uteri deſtinatarum debilitatem, & laxitatem, ut non ſolum cum maximo vitæ periculo abortum faceret, quotieſcumque eſſet gravida, ſed & habitualem pateretur vaginæ procidentiam. Quæcumque ſagacitas atque prudentia Illuſtrium Medicorum Nob. Hieronymi Treviſani Protomedici Patavini, Hieronymi Vandellj P. P. & Comitis Franciſci Leoniſſa, potuit præſcribere venuſtæ Ægrotanti, ea omnia fruſtra uſurpata fuere. Unanimi Clariſſimorum Medicorum conſilio Montis Ægrotorum balnea propoſita ſunt, quibus ſe prudentiſſima Matrona, licet invita, ſubjecit. Quotidie moderati caloris balneo utebatur per horam, cannulamque ligneam perforatam intra vaginam detinebat; i-

ta pars prolabens fulciebatur , & in loco detenta per foramina cannulæ inſculpta ab aqua thermali irrigabatur. Hoc peſſarium erat adeo neceſſarium , ut ſine eo nihil fortaſſe profectura eſſet ægra ; quantum enim roboris laxatis fibris thermalium aquarum vis allatura fuiſſet, tantumdem partes delabendo fuiſſent amiſſuræ. Injectionibus itidem ex eadem aqua utebatur aliquoties in die. Duodecim dierum ſpatio tam leni medela adeo profectum eſt , ut non ſolum debilitatæ partes priſtinum tonum adeptæ non amplius prociderent , ſed in ſubſequenti etiam non difficili partu e debito loco ne minimum quidem deturbarentur.

Hoc unum in hac hiſtoria animadvertendum eſt , talem polabentiam nullam aliam cauſam habuiſſe præter difficilem parturitionem : erat enim Nobilis Patiens optimi , & robuſti temperamenti , proſperæ valetudinis , florentis ætatis , ſanguinei coloris , & laudabilis vitæ regiminis. Quod ſi aliquæ ex hiſce conditionibus defuiſſent , nullus dubito, quin aut inſanata remanſura fuiſſet , aut longiorem certe medicationem poſtulatura.

OBS.

# O B S. LVIII.

## *Procidentia Vaginæ in Virgine.*

OCtodecim annorum Virgo ex Caſtro Franco cum deſidem vitam traheret, menſium difficultates, & ſuppreſſiones patiebatur cum aliquali virium proſtratione, alijſqne levibus hyſtericis ſymptomatibus. Emmenagogis fortaſſe nimium fortioribus adhibitis poſt copioſas, & iteratas ſanguinis emiſſiones, aliquid ex utero, & vagina fluere cæpit, quod tamen naturalis menſium fluxus apellari non poterat; erat enim aliquando quid loturæ carnium ſimile, aliquando vero quid ad fluorem album accedens. Vires quotidie infirmiores reddebantur, proſternabatur appetitus, color cachecticus fiebat, pedeſque oedemate tumebant. Demum continuato ſupradictorum remediorum uſu relaxata vagina eſt, & ultra fiſſuram magnam ad duos tranſverſos digitos propendebat. Multa incaſſum adhibita ſunt remedia increſcenti ſenſim morbo. Ipſe auctor fui, ut ad

Mon-

Montis Ægrotorum balnea ſe transferret. Ibi balneorum uſui aquam B. Virginis potandam addidi per viginti dies non ultra trium librarum quantitatem. Semel in hebdomada parum ſalis Aponi aquæ infundebatur. Præterea peſſarium ex linteis carptis thermali aqua Montis Ægrotorum imbutum intra vaginam aſſidue tenebat. Hoc modo & medicamen affectæ vaginæ apponebatur, & ipſius prolapſus impediebatur. Mirum quanta urinæ copia fluxerit, mirum itidem quæ, & quanta per alvum excreta fuerint. Corporis habitus quotidie melior, robuſtiores vires, omnia in melius mutabantur. Tandem vigeſima die fluxus menſtruus apparuit naturali modo. Idque in cauſa fuit, cur medicationi finem imponerem; verebar enim, ne poſt tantas excretiones, protracto remediorum uſu, in nimiam virium imbecillitatem prolaberetur ægra, & in corporis extenuationem incideret. Vigeſima quarta die diſceſſit, & conſilium dedi ut ad duos vel tres menſes eodem peſſario uteretur, eadem thermali aqua madido. Ipſa

vero cum poſt aliquod tempus perfecte ſe valere ſentiret, abjecit omnia quæ ad medicationem pertinebant, aliudque peſſarium ſubſtituit; nimirum robuſto juveni nupſit, cujus opera quater prægnans facta & multa facilitate enixa eſt, & robuſtos habuit filios, neque unquam poſtea vaginæ morbo laboravit.

# MORBI VENEREI, ET GENITALIUM.

## OBS. LIX.

### *Dolor Gallicus ad femur.*

ANtonius N. N. Patavinus morbo gallico ſæpius obnoxius, ſæpiuſque bene curatus a Medicis creditus eſt: temperamento erat ſanguineo, viriumque robur proceræ ſtaturæ reſpondebat. Ut ad conſiſtentem ætatem pervenit exiguum obſcurum dolorem circa medium dexteri femoris perſentire cæpit, qui initio leviter, & per longa intervalla recurrebat, progreſſu

vero ſenſim increſcendo conſtanter, & atrociter ſæviebat. Nullus calor, rubor, tumor ad exteriora: ſi valide comprimeretur femur, nullum doloris levamen, aut exacerbatio ſequebatur; licet continuus, vexabat tamen modo magis, modo minus: noctu ſemper magis, ita ut tres, & aliquando quatuor integras noctes haberet inſomnes. Quæcumque periti Medici præſcribebant ſumebat: purgantia, ſudorifera, diuretica, decocta antivenerea, mercurialia, emplaſtra, cerata, fomenta, ſuffumigia, & ipſam hydrargyroſim, inutiliter expertus eſt. Ultimo loco poſt annum ( ut frequentiſſime accidit, Medicorum dicam ne negligentia, inſcitia, an avaritia? ) thermalia remedia propoſita fuere. Alacri igitur animo, & ſpe pleno ad Montis Ægrotorum balnea ſe contulit æger circa initium Menſis Auguſti. Poſtero ab adventu mane balneo uti cæpit ſatis calido per horam, inde per alteram horam lecto decumbebat: utrobique plurimum ſudabat. Poſt prandium circumponebatur femori lutum S. Bartholamæi, rurſumque multum ſudabat, & ſic quotidie.

Poſt hebdomadam luto conſueto ſucceſſit illud Montis Ægrotorum per dies octo: tandem ad cænum S. Petri Montis Anionis deventum, donec inſumptis in medicatione viginti diebus, non ulterius progrediendum eſſe cenſui, cum nihil omnino profici videretur. Eadem prorſus qua venit valetudine diſceſſit. Quæ obſervare potui durante medela hæc ſunt. Facilis remediorum tolerantia, dolor neque in balneo, neque in lutorum appoſitione ſolito major, neque minor, non frequentior, non infrequentior, non denique longior, aut brevior: nullus tumor, aut inſolitus color: in tanto ſudoris profluvio exigua tantum corporis extenuatio: nulla virium debilitas: alacris animus: vigens appetitus: in ſumma doloris atrocitate quidquid excogitaretur nullum levamen afferebat: id unum aliquantulum dolorem ſedare videbatur, ſi citato curſu, & continuato ad ſudorem uſque crus exerceret æger.

Poſt ſex menſes Patavium me convenit, narravitque ſe poſt diſceſſum a thermis nullo unquam remedio uſum fuiſſe: per menſem cir-

ci-

citer a medicatione dolorem in ſolito gradu perſenſiſſe; procedente autumno ſenſim leviorem, initio hyemis omnino nullum. Poſt aliquot annos, quum ex ipſo de morbo rurſus quæſiſſem, reſpondit ſe integra fuiſſe ſemper corporis valetudine, nec Medicis aut medicamentis indiguiſſe.

Oritur de hoc morbo dubitatio, utrum nimirum thermalibus remedijs curata fuerit ægritudo, an ſponte, & ſolius naturæ viribus. Primum ſuadere videtur fallaciſſimum illud argumentum *hoc poſt hoc, ergo ex hoc:* ſed ſanatio a medicatione valde remota pro ſola natura pugnare videtur. Quid cenſendum ſit in hoc caſu unicuique liberum relinquens, rem ſic explicari poſſe putarem.

Ex antecedentibus dolorem a Lue venerea originem habuiſſe nemo in dubium revocabit. Cum vero neque a validiſſimis compreſſionibus, aut ligaturis ſtrictioribus vel augerétur vel minueretur dolor, ſed a ſolo citato curſu quodammodo leniretur, ſedem ejus vel in interno oſſis perioſtio, vel in medulla ſtatuendam eſſe

ſua-

ſuadet ſatis probabilis conjectura. Morbus igitur natura diuturnus, & difficillimæ curationis. Hinc decocta antivenerea, purgantia mercurialia, & hydrargyroſis potuerunt quidem fortaſſe virus venereum ſubigere, & diſſipare, ſed reliquias gallici miaſmatis in oſſis meditulio latentes extirpare penitus non potuerunt. Balneorum vero, & lutorum uſu vel copioſos ſudores elijciendo, vel continuato ad ſemur calore humores rarefaciendo, fibras dilatando, & minerales activiores particulas tum in humores, tum in ſolidas partes intrudendo, quis negabit eam facultatem adipiſci potuiſſe morboſam partem, quæ adjuvantibus vitæ & robuſtæ texturæ viribus progreſſu temporis materialem doloris cauſam, attenuaret, expelleret, aut alio quocumque modo ita immutaret, ut non amplius nocere poſſet. Nec mihi obijciatur ſanationis a medicatione longa diſtantia: qui enim morbi indolem rite perpenderit, animadvertet frequenter in praxi medica obſervari quoſdam effectus a ſuis cauſis remotiſſime diſtantes. Remedia enim etiam validiſſi-

diſſima in quibuſdam morbis inſenſibilem fere inducunt mutationem, effectuſque inſenſibilis mutationis non niſi poſt multum temporis ſe prodere poſſunt.

## O B S. L X.

### *Gonorrhæa vera a gonorrhæis virulentis orta.*

AMicus meus Patavinus Civis, ſulphurei temperamenti juvenis ex gonorrhæarum virulentarum diuturnitate, & frequentia, profligata licet per opportuna remedia omni virulentia, in veram gonorrhæam incidit, debilitatis ſcilicet & a venereo miaſmate, & ab antivenereis validioribus medicamentis, aut eroſis vaſculorum ſeminalium in urethram deſinentibus oſculis. Stillabat continue verum ſemen albiſſimo colore, ſine venereo phantaſmate, aut ulla penis erectione. Eo uſque neglexit morbum quo uſque proſterneretur appetitus, infirmarentur vires, emaciaretur corpus.

Se-

Sero nimis auxilium medicum imploravit, quod per vulgata roborantia, & ſtiptica inutile omnino expertus eſt in provecta ægritudine. Coerceri nullo modo poterat ſemen. Experientia duce propoſui ego thermalem medicationem. Ideo ad Montis Ægrotorum balnea translatus æger thermales aquas B. Virginis, & Montis Ægrotorum cum vaccino recenti lacte mixtas quotidie potabat. Utriuſque tum lactis tum aquæ doſis erat libra una. Thermali ſemicupio calenti quotidie utebatur per horam: per horam quoque lutum S. Petri Montis Anionis apponebatur peni, pubi, teſtibus, & perinæo. Sudabat mediocriter. Ad viginti dies protracta curatione ceſſavit omnino ſeminis ſtillicidium.

## O B S. L X I.

### *Gonorrhæa virulenta.*

RUſticus quidam ab Aponenſibus Thermis non valde diſſitus venuſtam habebat uxorem, quæ non raro Patavium adibat pullos & fructus vendendi cauſa. A libertinis quibuſdam

dam ſæpius animadverſa, per dolum in ipſorum poteſtatem decidit invita ruſtica, & virulenta gonorrhæa affecta domum redijt. Morbi plane ignara, licet conſueta ſymptomata experiretur, inſontem maritum ſtatim effecit vere conſortem. Uterque de morbi ſymptomatibus conquerebatur, ſed ut ſolent ruſtici, qui niſi acutiſſima febre vexentur non male ſe habere credunt, ſic & iſti, renum ( ut ajunt ) calore affici ſe putabant, nec niſi poſt menſem auxilium medicum petijt vir, dum ſedato dolore, & mejendi difficultate copioſum ex urethra fluxum ſeminis ( ut ipſe dicebat ) obſervaret. A me igitur petijt, ut aliquid ipſi præſcriberem. Ego vero ab accidentium narratione cum gonorrhæam virulentam evidentiſſime agnoſcerem; primum ne uxore uteretur prohibui, tum, cum eſſet pauperrimus, præſcripſi, ut uterque quotidie mane jejuno ſtomacho duas libras aquæ calidæ Aponi biberet, & tantumdem hora a prandio ſexta, frequenterque vir in urethram, mulier in vaginam eandem aquam moderate calidam ſyringa inijcerent,

rent , & poſt aliquot dies ad me redirent. Redijt quarta die maritus , & dixit prima vice epotam aquam mulieri vomitum proritaſſe , poſtea vero utrique dejectiones , & urinas promoviſſe : ab injectionibus vero in ipſo momento magnum dolorem exortum , qui poſt ſemihoram ſedabatur. Alioqui & conſtare appetitum , reſiſtere vires , ſomnumque eſſe profundum : fluentem materiem albeſcere incipere , & dilutiorem fieri. Hæc primis diebus obſervata , ut in inſtituta methodo perſeverandum eſſet ſuadebant. Igitur viginti diebus in medicatione perſtiterunt , & perfecte ſanati ſunt.

Si quis ex me quærat cui nam rationi , aut experientiæ innixus inſuetam hanc medicationem gonorrhææ virulentæ præſcripſerim ? is hoc ſibi reſponſum habeat. Ex recentiſſimis Auctorum placitis habemus virulentam gonorrhæam nihil aliud eſſe , niſi veram inflammationem ſui generis , quæ in ſuppurationem utplurimum deſinit. Quando igitur ſupradictas gonorrhæas pertractare cæpi ſymptomata omnia inflammatoria jam evanuerant , cum poſt

men-

menſem a morbi initio ad me perveniſſent ægri. Suppurationis igitur tempore quænam aliæ erant indicationes curativæ, niſi detergendi, & conſolidandi? Nihil igitur mirum ſi cum in alijs morbis vim detergentem, & conſolidantem aquæ Aponi expertus ſim, ejuſdem aquæ uſum in provecta gonorrhæa præſcripſerim. Mitto quod patientes adeo pauperes erant, ut aut ea ſola medicina uti poſſent, aut nulla: ſolummodo hoc aſſero ſupradictam medicationem rationalem fuiſſe, quamvis nulla experientia prius conſtaſſet virulentas gonorrhæas thermalibus hiſce remedijs fuiſſe ſanatas. Sequens hiſtoria comprobabit minime erroneam fuiſſe meam opinionem.

## OBS. LXII.

### *Gonorrhæa Virulenta.*

RUſticus quidam ruſticam mulierem balneis inſervientem, juvenem, viduam, nec deformem, vivaciſſimamque uxorem duxit. Hæc priuſquam nuberet ſæpe ſæpius cum aurigis,

& ſervis Aponum adventantibus commercium habuerat, & per conſequens gonorrhæam patiebatur virulentam, quam dotem ipſo nuptiarum die marito attulit: *Venient cum dote ſagittæ* (*a*). Oborta in viro ſtranguria, caſſiæ conſervam præſcripſi, tum decoctionem cicoreæ, endiviæ, parietariæ. Sedata ſtranguria nihil aliud præſcripſi, niſi ut tum vir, tum uxor primo mane tres libras aquæ Aponi potarent, eademque aqua frequenter pro injectionibus uterentur: tum cibos, potuſque calefacientes, & immoderatos labores interdixi. Hiſce per tres hebdomadas exacte peractis, & inveterata mulieris, & recens viri gonorrhæa virulenta probe ſanata eſt. Poſtea per biennium utrumque ſæpe interrogavi, an ullum gallicum ſymptoma poſt medicationem perſenſiſſent, at ſemper ſe convaluiſſe aſſeruerunt.

OBS.

(*a*) Juvenal. Sat. VI

# O B S. LXIII.

## *Gummata gallica.*

QUidam Hebræus, perditus & diſſolutus juvenis, melius dixerim cum Horatio, *Epicuri de grege porcus* ( *b* ) nullius religionis, atheus potius quam hebræus, cum ſummum bonum in corporis voluptate poſuiſſet, mimis mulieribus ab adoleſcentia ſe omnino dedit, hinc multipliciter, & multifarie morbo gallico fuit obnoxius, & per multos annos ſubintrantes, ut ita dicam, gonorrhæas virulentas ſuſtinuit, & non ſemel bubones. Mentis, & corporis idem erat regimen, & gubernatio. Quando enim præſcriptis remedijs utebatur, talis erat rerum non naturalium abuſus, ut non ſolum remediorum vis infringeretur frequentiſſime, ſed & noxia evaderent aliquando medicamenta. Gummata gallica in varijs corporis partibus apparuerunt: in oſſe frontis, in ſterno, in tibia. Nulla præmiſſa interna medela, nec prudenti alicujus Medici conſi-

( *b* ) Epiſt. lib. I. Epiſt. IV.

conſilio ad fontes Aponi ſe contulit, ibique calidiſſimorum balneorum uſum viginti diebus experiri voluit. Ultra horam balneo ad jugulum uſque immergebatur, atque ita calente, ut vix ſine animi defectione ſuſtineri poſſet. Suſtinebat tamen imperterritus hebræus, licet inde exiret adeo excandeſcens, ut igneo colore undique velaretur cutis. In balneo ſtillicidium ſupra gummata ſuſtinebat. A balneo non ad cubiculum, aut lectum erat tranſitus, ſed generoſo vino copioſius epoto, iter trium, quatuor, & ſex mille paſſuum, & per montes pedibus conficiebat, hora circiter meridiana, & caniculari tempeſtate. Domum poſt meridiem reverſus, nulla induſij a ſudore madidi mutandi cura, prandio ſe dabat nec ſatis parco, nec temperatis cibis referto. Poſt prandium iter curru faciebat, noctuque domum redibat cœnam prandio reſpondentem ſumpturus. Spirituoſis liquoribus, viniſque generoſis abutebatur non ſolum in prandio & cœna, ſed frequenter etiam in die. Quis crederet tali medela, tali regimine gummata gallica omnino evanuiſſe nullo relicto veſtigio? Mul-

Multa ex enarrata hiſtoria perpendenda ſe offerunt. Nimirum utrum gummata perfecte curata fuerint, an ſolummodo delituerint? ſi perfecte curata, an thermalium remediorum vi, vel caſu, vel natura? demum an ſupradictum regimen vim remediorum acuerit, an potius infirmaverit, vel prorſus deſtruxerit?

Verum quid hujuſmodi quæſtionibus reſpondendum ſit non videtur facile determinatu: nihilominus meas qualeſcumque conjecturas exponam.

Ad Gummata quod attinet ea certe omnino ſanata fuiſſe facile credo, cum & inſequenti anno, & tertio etiam eundem præclariſſimum hebræum ad eaſdem thermas ventitantem viderim voluptatis tantum gratia, nec ullum gummatum veſtigium appareret.

Cum vero non pauca alia gummata thermarum ope evanuiſſe alias viderim, ſic & iſtorum curatio ijſdem thermis referenda rationabiliter videtur, atque ob id potiſſimum quod morbus gallicus ejus ſit indolis, ut nunquam ſponte, aut a ſola natura ſanetur.

Utrum vero ſtultiſſimum illud, & imprudentiſſimum regimen in rebus, ut Medici loquuntur, non naturalibus remedij facultatem auxerit, imminuerit, aboleverit, ij judicent qui fugatas aliquando febres ardentes viderunt potu non mediocri vini ſpiritus cum piperis, & theriacæ mixtura, quemadmodum ſemel mihi obſervare contigit in quodam Polono. Quod verum eſt, thermalia remedia validiſſime in humores agunt, & in ſolidas partes: hinc deſcriptum regimen non poterat certe remediorum vim non acuere, ignem, ut ita dicam, igni addendo. Fortunate hebræus noſter eam a natura ſortitus erat complexionem, qua potuit tantum impetum ſuſtinere, quo non ſolum in graviores non incidit morbos, ſed & a gummatibus gallicis liberatus eſt.

OBS.

# OBS. LXIV.

## *Impotentia Virilis.*

MErcator quidam, cui ... *dulce magis reſoluto vivere collo*

*Nullaque Conjugii vincula grata pati* (*a*)

incerta, & multiplici Venere tota juventute uſus fuerat, & in Venereis conflictibus ſtrenue ſe geſſerat, omnibus cæli intemperiebus, & vitæ intemperantijs facile ſe exponens, & ſine ulla ſaltem apparenti moleſtia. Tanta rerum diſcrimina ſuſtineri diutius non poterant, cum functionum integritate. Propterea vix conſiſtentem ætatem attigerat, cum membrum, quo maxime pollebat, pedetentim infirmari animadvertit. Calidioribus cibis, nutrientibus, & ad venerem excitantibus veſcebatur, ut reſtituto penis elatere conſuetis voluptatibus frui poſſet. Hæc valuerunt quidem quantum valere poterant, ſed flaceſcebat quotidie magis penis, & tandem ad erectionem impar omnino redactus

 eſt.

(*a*) Cn. Cornel. Gallus Eleg. I.

eſt. Hæc infirmitas quemcunque alium a conjugij cogitatione diſtinuiſſet, ſed minime hunc Mercatorem. Sperabat enim honeſtas honeſtæ uxoris blanditias, furtivis & impudicis efficaciores fore ad ſemimortuam partem ad propria munera revocandam. Selecta de induſtria juveni, formoſa, vivacique vidua, matrimonium inijt. At prima tentamina irrita fuerunt. Stimulantia calidiora inutiliter ingerebat. Diu perdurare hæc impotentia non poterat, quin domeſtica pax turbaretur, nam ut ajt Gallus (*a*).

*Hac ſine diverſi nulla eſt concordia ſexus:*
*Hac ſine conjugij gratia ſumma perit:*
*Hæc geminas tanto conjungit fœdere mentes,*
*Unius ut faciat corporis eſſe duos.*

In furorem igitur acta mulier querelas aſſidue & contumelias in maritum evomebat, qui miſerrimam vitam aſſiduis contentionibus agitatam, uxorijſque jurgijs obrutam coactus ducere ad omnes Medicorum præſcriptiones, & Circulatorum prædicata pharmaca ultro ſeſe offer-

(*a*) Cn. Corn. Gallus. Eleg. V.

ferebat. Poſtremo, rebus deſperatis, Patavinæ thermæ propoſitæ ſunt. Quare una cum querula uxore ad Montis Ægrotorum thermas devenit. Semicupium ex thermali aqua quotidie mane præſcripſi, epota prius Coccolata: poſt prandium vero penis, teſtes, perineum, & inferior abdominis pars, lumbariſque regio cœno Montis Ægrotorum lutabantur: victus erat blande calefaciens, & valde nutriens. Decima ſexta die in balneo ſedens erectum penem lætus, ovanſque uxori potuit oſtendere, quæ enatam lætitiam ſtatim depoſuit, ut ad conſuetam flaciditatem membrum vergere vidit. Poſtero die aliquanto magis conſtitit erectio, die quarta tantum, quantum ſatis fuit, ut cupida mulier in ipſo balneo tentiginem deliniret. Multa alacritate id mihi uterque narravit, ſed admonui, ne niſi peracta medicatione, id amplius facerent, aliter inutilem facile futurum balneorum, & lutorum uſum. Fecerint autem quod commendaveram, vel non, dicere non poſſem; id poſſum aſſerere, quod poſt menſem vere vir, & vere maritus factus diſceſſit.

# OBS. LXV.

## *Lumbago a Coitu.*

PAtavinus Civis quinquagenarius, deſidi, melancholicæ, tranquillæ, & meditabundæ vivendi rationi deditus, dum conſiſtenti erat ætate adoleſcentulam, formoſam, & vividam uxorem duxit, e qua plures ſuſcepit filios ſanos & robuſtos, ſi unicum rachitide male affectum excipias. Increſcentibus ſine moleſtia annis cum ad quinquageſimum pervenit, licet Venere non abuteretur, moderatuſque eſſet in rerum non naturalium uſu, de Lumborum dolore queri cæpit, qui licet per intervalla recurreret, a coitu tamen vel exoriebatur, vel augebatur ſemper. Progreſſu temporis eo fuit redactus æger, ut nunquam impune uxoris amplexibus frui poſſet, quin fere ſtatim honeſtæ voluptatis pœnas lueret, biduo, & quatriduo atroci lumbagine dilaceratus. Si ablegata uxore cœlebs per menſem manebat, & per menſem lumbari dolore immunis erat, dummo-

do tamen gravioribus veſtibus dorſum minime gravaretur. Quid faceret in tali ægritudine ſæpe a me ſciſcitatus eſt, qui ſemper reſpondi, omnimodam a coitu abſtinentiam tutiſſimum eſſe remedium. At æger pari lance rependens & morbum, & remedium, ab utroque ſe ſubtrahere, ſi poſſet, optabat. Quare thermalia luta rationabiliter experiri poſſe pronunciavi. Cum igitur ab fibrarum debilitate provenire morbum dijudicarem, luta Montis Ægrotorum cæteris præſtantiora fore cenſui, & cum æger propter multas cauſas Patavio diu abeſſe non poſſet, lutum omni mane Patavium miſi ab externo aere adeo munitum, ut antequam dorſo apponeretur adhuc expectandum eſſet, donec nimiam caliditatem deperderet. Luto igitur quindecies ad lumbos per horam adhibito, multus ſudor elicitus eſt. Detracto luto, thermali adhuc calenti aqua abluebatur, & lecto per horam ſudans poſtea recumbebat. A Venere prorſus abſtinuit non ſolum omnibus medicationis diebus, ſed & totidem ea peracta. Poſt hæc omnia impune potuit conjugio frui, ſed

in-

intra ſeveræ moderationis limites, nec lumbago honeſtos, & moderatos amores unquam poſtea impedijt.

Utile in praxi Medica monitum ſuppeditat hæc hiſtoria; ſcilicet thermalia luta etiam in aliqua a fonte diſtantia utiliter operari, dummodo ita caute transferantur, quo ne vel nimiam exhalationem patiantur, vel nativum neceſſarium calorem non amittant. Non paucos morbos a lutis ſanatos vidi etiam in moderata ab ipſorum ſcaturigine diſtantia. Nihilominus tutius atque utilius eſſe aſſero jiſdem uti prope ipſorum mineras: nam ij ipſi morbi qui procul a fontibus thermalibus curantur, prope fontes perfectius, aut citius ſanarentur.

## OBS. LXVI.

### *Artuum Inferiorum Paralyſis a Manuſtrupratione.*

MAnuſtruprationis myriades a Præclariſſimo, atque Eruditiſſimo Viro S. A. D. Tiſ-

Tiſſot adeo exacte , modeſte , docte , diligenterque nobis exponuntur in peculiari ejus tractatu , ut exhauſta penitus lubrica hæc materies ulterioribus deſcriptionibus non indigeat : nihilominus liceat mihi tanti Viri obſervationibus hanc ſubijcere.

Patavinus adoleſcens , gracilis ſtructuræ, arti fabro-lignariæ aſſiduam , & laborioſam operam dabat ; indeque miſerrimum victum retrahebat , ſalitis ut plurimum carnibus & fumo induratis ſe paſcens , unde orta ſanguinis , humorumque acritate , frequentiorem , diuturnioremque penis erectionem patiebatur, quam quæ juvenili etiam ætati per eſſet . Ab frequenti hac moleſtia quandocumque ſeſe liberabat ſeminis effuſione manibus concitata. Voluptas quam percipiebat frequenter nimis in abominabile vitium adoleſcentem illiciebat. Poſthabita igitur Religionis , & valetudinis ratione , ter , quaterque quotidie polluebatur , unde debilitatis viribus , extenuato ad ſummum gracili corpore , oborto crurum tremore propriæ exercendæ arti impar efficiebatur. *Venus enervat vires* , ait

Ovidius. Progreſſu temporis eo redactus eſt miſerandus patiens, ut omni prorſus crurum motu deperdito, obſcuratoque ſenſu, cum aſſiduo lumborum dolore lecto decumbere cogeretur, fractis omnino viribus, proſtrato appetitu, & emaciato corpore. Accitus ego, indagata recondita morbi cauſa, primum proximæ mortis periculo deterrere adoleſcentem curavi, ut a tam fœda habitudine omnino ſeſe abſtineret, quod non facile, etiam in tanto vitæ diſcrimine, ab ægro impetrare potui. Tanta eſt inveterati vitij tollendi difficultas! Analeptico deinde victu imperato, ab ſumma virium proſtratione juvenem quadantenus reſtituere curavi, propinatis ſimul ad humorum acritatem temperandam demulcentibus. Hiſce uſque ad tempeſtatis opportunitatem uſurpatis, ad Montis Ægrotorum balnea, quo commodius fieri potuit, translatus eſt æger. Ibi & nutrientibus cibis, & luto Montis Ægrotorum cruribus, & lumbis applicito per tres hebdomadas tractatus eſt. Quotidianas exigui caloris lutationes præſcripſi, nec ultra triginta horæ minuta, ne

ni-

nimio ſudore excitato emaciaretur magis corpus. Thermali medela peracta, quamvis motus ſenſuſque cruribus reſtitutus eſſet, ſublatus lumborum dolor, refocillatæ vires, nutritum quodammodo corpus, uſum lactis per menſem laudavi, atque hiſce omnibus integram valetudinem adeptus eſt, ſed præcipue a conſueta turpi libidine religioſa abſtinentia, ſine qua inutilis prorſus futura fuiſſet thermalis medicatio.

Hæc hiſtoria ijs juvenibus erit utilis, qui ut Horatij verbis utar (a) *affigunt humo divinæ particulam auræ*, & ab manuſtruprationis conſuedutine nullum ſibi phyſicum damnum inferri exiſtimant. Iis dixit Martialis

*Hoc nihil eſſe putas; ſcelus eſt mihi crede ſed ingens,*
*Quantum vix animo concipis ipſe tuo.*



(a) Sat. Lib. II. Sat. II. verſ. 79.

# OBS. LXVII.

## *Sarcocele*.

BIlioſi temperamenti, tenuiſque texturæ Nobilis Vir a prima adoleſcentia otio deditus, & in Venerem pronus, varijs, diuturnis, gravibuſque gonorrhæis conflictatus, in remediorum uſu adeo exacte procedebat, ut non ſolum nihil a Medicis præſcriptionibus recederet, ſed & opportunam victus rationem ſequeretur, nec, niſi ſanati probe morbi evidentiſſima prius haberet argumenta, occaſioni novæ gonorrhææ ſuſcipiendæ ſe exponeret. Hiſce præcautionibus, cum eſſet circa trigeſimum quintum ætatis annum, virulentam fortiſſimam gonorrhæam adeptus, nullo rerum non naturalium abuſu retruſa gonorrhæa, atque ad ſiniſtrum teſtem immani inflammatione ſuborta, in vitæ diſcrimen adductus eſt. Superata opportunis remedijs morbi vi, & reſoluta quoad potiſſimam partem inflammatione, reſtituto etiam per urethram virulento fluxu, non mul-

to

to poſt perfecte ſanus evaſiſſet, niſi quid durum, indolenſque ſupra male affecti Teſticuli dorſum relictum eſſet, quod, cum nullam ægro moleſtiam afferret, biennio impune ſuſtinuit. At dolere inde paulatim cæpit tumor, & leviſſime increſcere. Perterritus propterea Nobilis Vir celeberrimos quoſque Medicos in conſilium vocavit, qui hydrargyroſim præſcripſerunt. Hæc rite peracta a virulentis inquinamentis ægrum fortaſſe expurgavit, ſed ad tumorem reſolvendum, aut imminuendum inutilis omnino fuit. Monſpelium adire voluit, ut Clariſſimorum eorum Medicorum dexteritatem in morbis gallicis pertractandis experiretur. Varijs ibi Mercurialibus medicationibus per tres menſes ſe ſubjecit, nec meliore exitu. Ultimo & noſtrarum Thermarum periculum facere voluit. Ideo circa initium Auguſti menſis ad Montis Ægrotorum balnea me convenit, meoque conſilio ſequentem medicationem ſuſtinuit. Præmiſſo leni purgante mercuriali, quotidie mane aquam B. Virginis potabat, & leniſſimo balneo ad ſemihoram utebatur. A balneo in

lecto ſe colligens ſupra affectum Teſtem lutum S. Bartholamæi ſatis calidum ſuſtinebat ultra horam, quo tempore valde ſudabat, & præcipue circa pubem, & ſcrotum; tuncque evaneſcebat omnino dolor. Poſt dies decem, quibus & imminui dolorem, & emolliri quadantenus tumorem, atque expandi obſervaveram, opportunum duxi primo luto cœnum Montis Ægrotorum ſubſtituere uſque ad finem. Ultra menſem producta medicatione, reſoluto tumore perfecte ſanatus eſt Nobilis Æger.

Quod multis alijs obſervationibus mihi conſtabat, & hac magis confirmatum eſt; veteres Morbi Gallici reliquias, profligata jam virulentia, quæ neque mercurialibus, neque alio quocumque remedio extirpari poſſunt, thermali medicina ut plurimum ſanari.

## OBS. LXVIII.

### *Scabies Celtica.*

NObilis Juvenis Patavinus Scabie Celtica diu laborabat, in qua fruſtra multa remedia

dia adhibuerat. In manus tandem medici cujuſdam hebræi incidit, qui ſpecificum linimentum proponens integram inde valetudinem promittebat. Soluto prius non levi pretio, cum prima inunctione uti cæpit tanto ardoris ſenſu correptus eſt, ac ſi in ignem ardentem toto corpore immitteretur. Demulcenti tepido balneo opus ſtatim fuit ad tam atrocem ſenſationem temperandam, projecto deinde improbo ſpecifico in meliores ſe commiſit manus, Cl. nempe & Nob. Protomedici Hieronymi Treviſani, qui omnem operam animumque convertit, ut depurantibus & demulcentibus ſanguinis maſſam a morboſa fece expurgaret, & mercurialibus relictum venereum virus ſubigeret. Ab veris initio uſque ad medium autumni nihil quoad ſcabiem profici viſum eſt. Quare prudens Protomedicus & ultimum experimentum Montis Ægrotorum balnea propoſuit, licet tempeſtas ad hyemen vergens contraindicare videretur. Rogatus ego, ut tanto juveni adeſſe vellem, non defui, idque regimen inſtitui, quo exacte obſervato, non meliori certe fortuna ipſa

æſta-

æſtate profutura fuiſſet medicatio. Circa medium octobris, purgato prius corpore, in proprio cubiculo balneo uti cæpit levis caloris, & ad breve tempus. Nihilominus cum debilis texturæ eſſet Æger, meticuloſus valde, & a longis, fortibuſque medicationibus debilitatus, in Lipothymiam incidit, quæ tamen ægrum a balneorum uſu non abſterruit. Medicationem quotidie ferebat alacriori animo, evaneſcente omni timore, metuſque effectu. At circa duodecimam diem ijſdem omnino puſtulis, eodemque pruritu permanentibus, de ſanatione deſperans, in graviſſimum animi pathema incidit. Ego vero non tam conſolationis gratia, quam, ut, quod attenta, & multiplici mihi experientia conſtabat, exponerem, multa eorum exempla narravi, qui licet in thermalibus medicationibus nihil proficere viſi eſſent, tamen poſt aliquod tempus omnino incolumes evaſerant. Facile fore ajebam, ut balneorum uſu omnis prorſus eliminaretur morboſa materies, & progreſſu temporis puſtulæ omnes a deſquammata cute deciderent. Hæc & alia hujuſmo-

modi ad ſolam conſolationem, non ad veritatem dicta accipiebat. Poſt vigeſimum diem diſceſſerat eodem plane morbo laborare ſe credens, ſtatueratque nullum amplius adhibere remedium, cum omnia & ſingula ad id celebrata inutiliter expertus eſſet. Poſt menſem a finita medicatione, Patavij me convenit, lætoque animo perfecte valere ſe dixit, nullo alio poſt balneorum uſum uſurpato remedio. Puſtulæ omnes ceciderant ſponte, & ſingulæ rubeſcentem in cute maculam reliquerant, quæ paulatim obliterata eſt.

Duo notatu digna in hac hiſtoria videntur. Primum balneorum uſus in Menſe Novembri; alterum ſcabiei curatio poſt menſem a medicatione.

Quoad primum: viguit & adhuc viget apud pleroſque Medicos opinio, thermalia remedia externa in æſtate ſolummodo convenire; ob id unum fortaſſe, ne conſtipationum facilitas in graviores morbos, & in vitæ diſcrimen adducat ægros. At ſi & a frigore, & ab externo aere probe ſe tutentur ægri, non video cur

qua-

quacumque anni tempeſtate iſtis remedijs uti non poſſint, quemadmodum & alibi exponam.

De diſtantia vero ſanationis a medicatione minime mirabuntur exercitatiores Medici, qui alias hoc ipſum phænomenon paſſim obſervant: v. g. in morbo gallico, hippochondriaco, hyſterico. Hoc in thermalibus medicationibus adeo frequens eſt, ut de eo præmonendos ægros ſæpe cenſeam, ne, ſine ullo apparenti juvamine diſcedentes, de valetudine recuperanda omnino deſperent. Plerique tamen id conſolationis gratia ſolummodo dictum putant, nec credere volunt niſi cum perfecte ſanati amplius negare non poſſunt fidem. Multa hujuſmodi exempla in obſervationibus hiſce meis invenientur; ſed ea eſt Artis noſtræ conditio, ut ſi quando etiam ex animo loquamur, non ſemper fidem inveniamus.

OBS.

# OBS. LXIX.

## *Seminis morboſa ejectio.*

VIr Nobilis melancholici temperamenti, hypochondriacis affectionibus obnoxius, non ſemel gonorrhæis virulentis vexatus eſt, & neſcio quo modo curatus; nam, ut ad quadrageſimum ætatis annum pervenit, quotieſcumque leniſſima etiam de cauſa erigebatur penis, ſtatim, & involuntarie ſeminis ejectio ſequebatur. Multa ad hypochondriacum morbum imminuendum adhibuerat ſatis proſpero eventu. Multiſſima vero a præſtantiſſimis Medicis præſcripta fuerunt ad intempeſtivam ſeminis effuſionem coercendam, ſed omnia irrite; vel ob morbi indolem, vel ob remediorum multiplicitatem, aut etiam naturam, vel ob ægrotantis inopportunam vivendi rationem. Multi multa Nobili Viro de Thermis noſtris dictitabant, & propterea meam opinionem expetijt. Fuſe exponenti ſingula ad morbum quoquo modo ſpectantia, reſpondi morbum ab

laxitate, & debilitate canalium ſeminalium in urethram deſinentium facile provenire, quæ debilitas vel a præterfluente præcedentium gonorrhæarum virulento fluxu, vel ab injectionibus diu in urethram factis, oriretur. Morbum non difficulter ſanatum iri, niſi forte vaſorum laxitati accederet & oſculorum eroſio; Luta thermalia maximum habere locum poſſe in eo morbo. At cum hyems eſſet, nec ſatis commode inſtitui poſſent lutationes, uſque ad opportuniorem tempeſtatem injectiones præſcripſi in urethram, & fomenta pubi, peni, ſcroto, & perinæo ex aqua Montis Ægrotorum balneo Mariæ calefacta. Quæcumque vero penis erectionem quoquo modo promovere poſſent, ut ſummopere fugeret commendavi; ſi enim aut victus, aut imaginationis, aut muliebris præſentiæ cauſa penis frequenter erigeretur, irritam futuram quamcumque medelam, & quidquid utilitatis ad conciliandum relaxatis partibus tonum remedia allatura eſſent, id omne in partium diſtractione a penis erectione, ſeminiſque effuſione ſubſequenti deperditum iri.

Non

Non caſu id dixeram, atque inculcaveram. Sciebam enim Nobiliſſimum Virum venuſtæ matronæ amore teneri, & diu cum ea & frequenter converſari. A menſe Martio uſque ad Julium injectionibus, atque fomentis thermalibus, licet non multum, aliquid tamen profectum eſt. Menſe Julio cum multa obſtarent, ne Æger in thermis immorari poſſet, Patavij medicationem inijt. Quotidie lutum Montis Ægrotorum Patavium translatum, valde calens a minera imponebatur teſtibus, peni, & interfæmineo per horam, & aliquando bis in die. Sudabat valde: detracto luto abluebantur partes aqua Montis Ægrotorum adhuc naturaliter calenti, poſtea lecto manebat, donec ceſſaret copioſus ſudor. Poſt tres hebdomadas perfecte quidem non convaluit æger, ſed multo melius ſe habuit. Sapientiſſime monet Hippocrates (*a*) *Nec ſolum præſtare oportet Medicum opportuna facientem, ſed & ægrum, & aſſidentes, & exteriora*. Utinam Nobilis Æger ab ijs omnibus quæ nocitura prædixeram ſe abſtinuiſ-



(*a*) Sect. I. aph. I.

ſet, & ab amata matrona præſertim; nam hac prima medicatione eam perfectam valetudinem adeptus eſſet, quam non niſi triennali thermali medicatione obtinuit.

## OBS. LXX.

### *Sterilitas & Scorbutus.*

JAcobus Clark ditiſſimus Mercator Anglus conſiſtentis ætatis, robuſti, ſanguineique temperamenti dum per Europam cum venuſta, juvenique uxore iter faceret, levibus ſcorbuticis ſymptomatibus afficiebatur, ex abuſu rerum non naturalium potius, quam ab alijs cauſis repetendis. Quibus ut ſanaretur conſilio Cl. Morgagni, & meo ad Montis Ægrotorum balnea ſe contulit, ibique per tres hebdomadas quotidie per horam balneo utebatur, & plurimum ſudabat. Quotidie quoque aquam illius fontis in ſumma doſi ad libras quinque potabat, præmiſſo prima die purgante, additaque ſingulis diebus unica lactis vaccini libra. Imminuebantur ſenſim morboſa ſymptomata,

& cir-

& circa medicationis finem evanuerunt omnino, quamvis cibis, & vino paulo nimis indulgeret robuſtus Vir. Quantum alacritatis homini ingenuo morbi diminutio afferebat vel primis diebus, tantum & triſtitiæ ſubijciebat diviti Mercatori cogitatio, quod poſt multos annos ex dilectiſſima uxore liberos ſuſcipere nunquam potuerat; cujus rei cauſa ut ab alterutro, vel ab utroque repeteretur nulla erat major ratio. Si enim robuſtus, & in vegeta ætate conſtitutus erat Vir, ſana itidem, juvenis, & bene colorata erat Mulier. Huic utriuſque quærimoniæ reſpondebam, Patavinas Thermas ad ſterilitatem quoque valere, & a me multoties, & ab alijs aliquando fuiſſe obſervatum; quare eodem balneo quo Vir, eodemque tempore uteretur etiam Uxor. Quod cum multoties feciſſent læto animo diſceſſerunt ob recuperatam tantum Mariti valetudinem. In Angliam lento itinere redeuntes, cum poſt quatuor Menſes per Hollandiam tranſirent, evidentiſſima in muliere granditatis ſigna apparuerunt, atque, ut ab ejus amicis mihi relatum

eſt,

eſt , Londini nono a balneorum uſu menſe robuſtum , ſanumque filium alacris peperit quæ per tot annos infœcunda fuerat Mulier.

Plurimas huic addere poſſem obſervationes , quas habeo ad ſterilitatem pertinentes , ſed ut ſuperfluas prætereo.

Si quis hanc obſervationem conferat cum Caſſiodori epiſtola , (*a*) in qua Theodoricus Oſtrogotorum Rex hæc ait *ſtupenda quadam continentiæ diſciplina in undam qua Viri recreantur , ſi mulier deſcendat , incenditur* , facile intelliget multa falſa , atque ſuperſtitioſa ſuperſtitioſis ijs temporibus de hiſce thermis prædicata fuiſſe, quæ licet veritati , experientiæ, & ſenſui communi repugnarent ( tanta erat tunc rerum inſcitia ) nihilominus paſſim credebantur.

MOR-

(*a*) Variar. lib. 2. Epiſt. 39.

# *MORBI CUTANEI.*

## OBS. LXXI.

### *Elephantiaſis.*

MOrbo Gallico multoties vexatus fuerat Nobilis Vir Germanus, & Illuſtriorum Medicorum præſcriptionibus curatus ita, ut a viginti quatuor annis nulla amplius venerea ſymptomata apparerent. At cum ſexagenarius eſſet coinquinari cæpit cutis frequentibus maculis, puſtulis, ſquammis, cum excedenti prurigine. Quorumcumque remediorum vim eludens morbus per tres annos adeo increverat, ut totum corpus nigra, canceroſa cruſta velaretur. Non tam prurigine, quam ſalacitate libidinoſa cruciabatur. Sudor fœtidum olebat, alvus erat ſicca, ſenſus torpidi, ſomnus multus, ſed terribilibus inſomnijs perturbatus, capillorum defluxus, oculi torvi, tumentes nares, facies depravata, & varijs tuberculis inter-

terrupta, pulſus debiles, parvi, dejectus appetitus, corporis & animi languor. In hoc ſtatu mercuriali medicatione fruſtra inſtituta in Patavinis thermis omnis ſpes repoſita fuit, & ad Montis Ægrotorum fontes æſtatis initio venit Nobilis miſerrimus æger an. MDCCLIX.

Aliquot diebus ad reficiendum a longo itinere debile corpus conceſſis, præmiſſo leni purgante aquam B. Virginis in leviſſima doſi ſumere cæpit, eamque uſque ad quatuor libras ſenſim auctam quotidie potavit, unde urinæ copioſiores, laxiorque alvus efficiebatur. Die tertia in balneum leniſſime calidum eum deſcendere juſſi uſque ad jugulum, faciemque, & caput eadem balnei aqua frequenter conſpergi. At poſt pauca horæ minuta ad ægrum accitus celerrime accurri, invenique eum lipothymia correptum, ſanguine ab univerſa cute manantem, balneumque ſanguineo colore undique infectum. Quare ægrum in frigidum lectum ſtatim reponi juſſi, ibique ſpirituoſis liquoribus naribus, atque ore intruſis, frigidiſque faciei inſperſionibus ægrum revocare, &

ad

ad priſtinum ſtatum reſtituere curavi, quod mihi nec facile, nec brevi ſucceſſit. Virium dejectio tanta inde fuit, ut niſi poſt dies octo e lecto ſurgere non potuerit, quamvis optimis, aptiſque cibis refocillaretur. Duodecim diebus quieti donatis rurſus ad balneorum uſum deventum eſt; rurſuſque balnei calore fluebat ſanguis, qui licet in mediocri quantitate eſſet, extenuari tamen calorem balnei præſcripſi, & ad brevius tempus uſum imperavi. Poſt quintam balneationem non amplius fluxit ſanguis, idcirco paulo longius in dies balneo utebatur, & paulo calidius; tandem eo pervenit, ut per integram horam balneo uti ſine moleſtia potuerit. Elapſo menſe exigua quædam juvaminis ſigna apparuerunt; nam neque pruritus adeo ferus, neque tanta debilitas, appetitus ſic ſatis vigebat, ſenſus erant minus torpidi, imminuta ſalacitas, & cutanea cruſta in multis locis vacillare obſervabantur. Igitur & in alterum menſem medelam produxi, quo quotidie deciduæ in balneo cruſtarum portiones conſpiciebantur. Sic delapſo paulatim nigro illo,

duroque cortice non amplius bellua, ſed homo apparuit Nobilis Æger thermis noſtris renovatus. Poſt bimeſtrem medicationem abijt Patavinarum Thermarum encomia prædicans. Poſt ejus diſceſſum nihil amplius de illo audivi.

## O B S. LXXII.

### *Eriſipelas.*

ANna Stardiota vidua ceſſantibus propter ætatem menſtruis purgationibus, ſanguineque ad ſalſam acritatem vergente, pertinaci Eryſipelate in dextera tibia frequenter corripiebatur. Conſuetis remedijs difficulter ſanabatur morbus, brevibuſque intervallis recidivam faciens, aut lecto fere ſemper detinebat viduam aut elevato crure ſedere cogebat. Patavij meum expetijt conſilium, præſcriptoque prius ad temperandam humorum acritatem demulcentium uſu, fomenta ex aqua Montis Ægrotorum, balneo Mariæ tepefacta, ad affectam partem commendavi, quorum frequenti, longoque uſu non ſolum evanuit Eryſipelas, ſed expurgatis per

opportuna decocta fluidis, is tonus debilitatæ parti reſtitutus eſt, ut Eryſipelati numquam poſtea fuerit obnoxia.

Hac & alijs multis obſervationibus ſuffultus quotieſcumque medendum mihi ſeſe offert aliquod Eryſipelas, lenito prius refrigerantibus fomentis dolore, aquam Montis Ægrotorum cum proſpero eventu ſemper præſcribo; quæ ſi in fontis diſtantia adhibenda ſit, & nativum calorem amiſerit, in vaſe clauſo tepefacta exoptatum effectum, licet paulo ſerius, producere non omittit.

## O B S. LXXIII.

### *Gutta Roſacea.*

JUvenis Patavina mulier, bilioſi temperamenti, venuſta, & ſatis formoſa, formoſior adhuc videri volebat, propterea Coſmeticis continuo utebatur, nec unius generis, nec ſatis blandis. De hac rurſus dixiſſet Juvenalis (*a*).



(*a*) Sat. VI. verſ. 461.

*...... pinguia Poppæana*

*Spirat , & hinc miſeri viſcantur labra mariti .*

Hiſce ſubſidijs ad tuendam pulchritudinem inſtitutis , nihil aliud effecit , niſi quod immaturam ſenectutis deformitatem ſibi procuravit. Nam priuſquam trigeſimum quartum ætatis annum attingeret , nigris dentibus , rugoſa , & flaccida facies rubicunda tota , frequentibus , minutiſque puſtulis fœdabatur , ita ut cum Juvenali Ulcus apellari poſſet.

*Sed quæ mutatis inducitur atque fovetur*

*Tot medicaminibus .... facies dicetur , an ulcus ? (a)*

Ablegato igitur omni Coſmeticorum uſu , indicta convenienti victus ratione , ſanguis e baſilica , & ſaphæna detractus eſt. Laxato poſtea lenioribus purgantibus ventre per integrum menſem ſerum lactis depuratum , in quo cicoreæ & endiviæ folia ebulliiſſent , præſcripſi. Semicupia quoque ex aqua Montis Ægrotorum adhibebantur , & frequentes faciei ablutiones ex eadem tepente thermali aqua. Nondum finis men-

(a) Sat. VI. verſ. 470.

menſis advenerat, cum decidentibus paulatim cruſtulis, quibus facies obducta fuerat, priſtino nitori reſtituta eſt.

# OBS. LXXIV.

## *Herpes Eſtiomenos.*

PAtritius quidam quadragenarius fere, biliosiſſimæ temperiei, & gracilis texturæ a prima uſque juventute crapulæ & Veneri nimis deditus, gallico morbo varie, diuque vexatus, & antivenereis remedijs diverſimode tractatus, quibus profligatum celticum virus creditum fuerat, cum ad conſiſtentem ætatem perveniſſet multis in corporis partibus herpete correptus eſt: puta ad abdomen, pectus, clunes, & teſtes. Demulcentibus, temperantibus, purgantibus, ſudoriferis, antivenereis etiam non omiſſis, & ad longum tempus uſurpatis, nihil profectum fuerat. Morbo in dies increſcente depaſcebantur ſolidæ & carnoſæ partes cum immani prurigine, quam cum Nob. Æger tolerare non poſſet, nimis acriter ſcalpendo, ulcera

ra efficiebantur. Irritis cæteris remedijs Aponi Balnea a Cl. & Nob. Protomedico Hieronymo Treviſano propoſita ſunt, quibus per dies quindecim ad horam uſus eſt Æger, epota ſimul aqua B. Virginis in quinque librarum doſi. Parum, vel nihil eo anno profectum eſt: inſequenti anno balneis Montis Ægrotorum cum thermali potu, manifeſtiora levaminis inditia apparuerunt: anno tertio ad Aponi fontes eamdem medicationem repetjit. Triennio perfecte ſanatus eſt, quamvis, ne miſerrime viveret, non adeo medice vixerit.

Liceat nunc mihi ſciſcitari, cum primo anno nihil prorſus juvaminis a thermali medicatione derivatum eſſet, ſi vel Æger, vel prudens Medicus inſequentibus annis ab ea deſiſtendum cenſuiſſent, curatus ne unquam fuiſſet tam ferox, difficiliſque morbus? Iis dictum hoc ſit, qui ſine ulla experientia pronunciant, Thermalia remedia, niſi intra dies quindecim conferentiæ dent evidentia ſigna, non eſſe ulterius uſurpanda. Legant iſti Hippocratis aphoriſmum 51. Sectionis ſecundæ: *omnia ſe-*

*cun-*

*cundum rationem facienti , ſi caſus non ſuccedat ſecundum rationem , non eſt tranſeundum ad alia , ſtante adhuc eo quod a principio viſum ſit .*

## OBS. LXXV.

### *Herpes Miliaris .*

MUlier quædam Hebræa cum eſſet adhuc juvenis , viroque nupta nec ſatis facili , neque admodum , ut ipſa exoptaſſet , uxorio , variis , frequentibus , gravibuſque animi pathematibus diu fuit vexata , a quibus eam humorum acritatem contraxit , & diſcraſiam , quam Medici Scorbuticam vocant , propendentibus in id vitium etiam bilioſiſſimo temperamento , gracilique corporis ſtructura . Medicinæ cauſa Tergeſto Patavium ſe contulit , atque opera diligentiſſimi Medici Doct. Conſilli adjuta eſt . Morbus eo devenerat , ut puſtulæ , & exigua quædam ulcera fere totam depaſcerentur cutem , eamque fera prurigo irritaret , langueſceret appetitus , vexarent vigiliæ , emaciaretur corpus , proſternerentur vires , & febres

mo-

modo acutæ, modo acutiſſimæ habituali lentæ febriculæ aliquando ſuccederent. Prudentia ſumma, laudabili lenitate, & blanditie ægram tractavit ſciens Medicus, idque in primis curavit, ut opportunis remedijs ſanguinis, humorumque acritas emendaretur; quod fortaſſe aliquo modo obtinuit quoad interiora, ſed nullo prorſus quoad exteriora. Puſtulæ enim, & ulcuſcula, nec melioris indolis erant, nec minori quantitate apparebant. Cum igitur tritis ad id remedijs nihil profici animadverteret Medicus, provecto autumno ab hyemis adventu incrementum morbi reformidans & aquæ B. Virginis potum, & Aponi balnea præſcripſit. Purgato prius, & convenienti medicatione præparato corpore circa finem Septembris ad Aponum venit ægra; Aquam B. Virginis quotidie potabat in pauca copia ob ventriculi debilitatem, balneis quoque ad jugulum uſque utebatur, ſic ſatis calidis, ſed ad breve tempus, ne debilitatæ vires magis infirmarentur. Poſt decem circiter dies cum menſes fluere inciperent, & uberiores ſolito apparerent ab omni re-

remedio ægra me ſuadente ſe abſtinuit, tum virium ratione, tum quia verebar maxime ne balneorum uſus in ſcorbutica diſcraſia naturalem fluxum in immodicam hæmorrhagiam mutaret. Abſoluta menſtrua purgatione, ad balnea rurſus, & thermalis aquæ potum redijt, quibus quindecim diebus inſumptis, propter aeris inclementiam enatam, meo conſilio diſceſſit. Iis diebus multum per alvum dejecit, copioſas habuit urinas, uberrimos ſudores. Cutem ſi inſpexiſſes, & pruriginem perpendiſſes nihil omnino profeciſſe hanc mulierem exiſtimaſſes. Sed hyeme melius ſe habere cæpit, & vix animadvertente ægra paulatim tota cutis mundata eſt. Et hic morbus ad eos pertinet quorum ſanatio a thermalis medicationis tempore valde diſtat.

## OBS. LXXVI.

### *Scabies.*

EX innumeris Scabiebus quas curatas vidi balneis Aponi, Montis Ortoni, Sanctæ

Helenæ , & Montis Ægrotorum hujus unius deſcriptio ſatis ſit. Famulus meus Antonius Tribanius Patavinus ſcabie laborabat ab alio fortaſſe communicata, de ea omnes diu celaverat, ſperans fore ut, me inſcio, quorumdam, quibus utebatur , remediorum ope liberaretur. At ſpes eum fefellit ; nam neque ſulphuratis unguentis, neque ſulphure epoto quidquam obtinere potuit. Sulphuris odor nares meas feriens non poterat mihi non aliquam ejus rei ſuſpicionem ingerere. Inſtituto examine ſcabiem inveni ſiccam , minutam , confertiſſimam , inveteratam , & vulgaria remedia reſpuentem. Intercepto igitur omni ejus cum familia commercio, dum me reſtituere Patavium , vergente in hyemem autumno, vellem , ſervum ad Montis Ægrotorum thermas reliqui, præſcriptis in ſingulos dies demulcentibus decoctis, & thermalibus illius fontis balneis. Citæ ſanationis deſiderium , & dimiſſionis timor obedientiſſimum , fortaſſe etiam nimis, reddiderunt præſcriptionibus famulum; nam poſt decoctionis potum, terque, quaterque quotidie balneo utebatur calidiſſimo.

Id effecit ut poſt duas hebdomadas Patavium redierit mundata ab omni puſtula, & prurigine cute, indeque mundo cortice permanſit ſemper.

## *MORBI OSSIUM, ARTICULORUM, ARTUUM, ET MUSCULORUM.*

## OBS. LXXVII.

### *Ancyloſis in genu.*

ANtonius Biſaglia ex Vico Stanghella dicto, agri patavini, ſenguineæ temperiei trigeſimum quintum ætatis annum agens, jam uſque ab ipſa juventute de quadam ambulandi difficultate in ſiniſtro crure conqueri conſueverat, qua increſcente apparuit in reſpondenti genu ſupra rotulam latus tumor ſine ullo rubore. Crevit brevi tumor cum magno dolore: claudicare cæpit æger, atque, ut in deambulando minorem experiretur dolorem, corpus ad ſanum crus continuo inflectebat, & lumborum vertebræ vel maxime incurvabantur.

Celeberrimis Medicis in conſilium adhibitis, multiſque uſurpatis remedijs oleum, & operam perdidit: attractum genu extendi nullo modo poterat, nec erigi incurvatum corpus. Quinto ab initio morbi anno, cum thermas Montis Ortoni adiiſſet, & luta & balnea illius ſcaturiginis fruſtra expertus eſſet, ab omnibus remedijs in poſterum ſe abſtinere ſtatuerat. At quamvis morbus non ultra progredi videretur, recurrentibus tamen annis graviora omnia in hyeme perſentiebat, propterea conſilio Cl. Morgagnij thermali medicationi rurſus ſe ſubjecit. Decem diebus balneis Montis Ægrotorum, & luto S. Bartholamæi bis quotidie uſus eſt, at familiaribus curis inde evocatus medicationi finem impoſuit, non aliud levamen ferens, niſi quod paulo mollior erat tumor, nec morbus ulterius increverat. Si diutius in medicatione perſtitiſſet, & cæteras lutorum ſpecies in uſum revocaſſet, quæ majori reſolvendi vi pollent, quid ni, aut integram ſanationem obtinere, aut ſaltem plus ſolatij reportare potuerit? Ipſe vero cum omnem ſuam ſpem in lutis & balneis Montis

Or-

Ortoni poſuiſſet, per multos ſubinde annos ijſdem uſus eſt exitu non meliori.

## OBS. LXXVIII.

### *Ancyloſis in genu.*

BEnedictus Pagliaruzzi Caporetanus novem annorum puer bene nutritus, ſanguinei coloris, vivaciſque ingenij, confluentibus variolis in vitæ diſcrimen adductus eſt. In variolarum exſiccatione tumor in ſiniſtro genu apparere cæpit cum gravi dolore, intenſo rubore, & motus impedimento. Poſt multiplicem remediorum uſum tumor ad ſuppurationem pervenit, quæ cum diuturna eſſet nimis, & pravæ indolis non poterat ſpongioſis illius juncturæ oſſibus non officere. At cum de oſſium læſione nihil ſuſpicarentur Chirurgi, omni molimine curarunt ulcus ad cicatricem ducere, quod ſe conſecutos eſſe facile ſibi perſuadebant, cum nulla exeunte materia conſolidata pars appareret. Sed paulo poſt ſuperveniente novo dolore, & rubore, increſcenti tumori cum acuta febri

no-

novæ rurſus , & ſpontaneæ factæ ſunt ſuppurationes , rurſus atque iterum eadem methodo , ijſdemque ſymptomatibus poſt novas inductas cicatrices erupturæ . Triennio ita conflictatus puer non ſolum omnimodum cruris motum amiſerat , ſed contractis muſculis crus emaciatum retro ſurſum immobile tenebat , tumente enormiter genu . Aſſiduis , & multiplicibus remedijs fruſtra vexatus Æger , tandem ad Montis Ægrotorum balnea Medicorum conſilio miſſus eſt , ut , ſi quid in eo caſu opportunum mihi videretur , in uſum revocarem . Ubi igitur male affectam partem examinavi , Matrem ejus ſtatim admonui , non multum in eo caſu a Thermis ſperandum eſſe , cum non ſolum integumenta , muſculi , & ligamenta male affecta eſſent , ſed ipſa oſſium ſubſtantia , & præſertim rotula . Ab oſſium læſione ſuppurationum recidivas oriri , & pravam puris naturam ; nihilominus optimum eſſe conſilium , irritis cæteris , & thermalia remedia experiri , a quorum bono , vel nullo effectu intra paucos dies dignoſci deberet , utrum in thermali me-

dela

dela perſeverandum eſſet, an ab ea deſiſtendum. Quoniam inſuper labe ſcorbutica affectos humores pluribus argumentis mihi conſtabat, atque ad eam diſcraſiam internum aquæ Montis Ægrotorum uſum perutilem ſæpenumero expertus eram, ideo quotidianum illius aquæ potum præſcripſi in ea quantitate, quæ puerili ætati conveniret, additis aliquot granis ſalis ejuſdem aquæ. Balneo inſuper mane utebatur, lutoque S. Bartholamæi veſpere; aliquando vero cœni loco, ſtillicidium ſuſtinebat. Primis diebus ſin minus conferentia, maxima certe erat remediorum tolerantia. Sed die octava ſuperveniente valida febri interrupta eſt medicatio. Quartum diem non pertranſijt Synocha, ideo rurſus thermæ adhibitæ; & S. Bartholamæi cœno illud Montis Ægrotorum ſubſtitui, quo ad vigeſimum quintum diem ventum eſt cum evidentibus juvaminis ſignis; nam genu minus tumebat, dolebat nihil; foramina ex quibus purulenta materia manabat clauſa erant, & ſatis firma; crus magis nutritum apparuit, minuſque contractum, & machinæ adjumento

pa-

parumper ambulare poterat puer. Hæc juvamina majora fore progreſſu temporis promittebam, & medicationi finem impoſuiſſem, niſi Nob. & Cl. Protometicus, qui tunc forte aderat, Hieronymus Treviſanus aſſeruiſſet, conferentia remedia in difficillimo morbo proroganda eſſe; nam licet perfecta partium in naturalem ſtatum reſtitutio ſperari non poſſet, ſperari tamen poſſe futurum, ut thermalium remediorum vi, atque efficacia quaſi quidam morbo limites conſtituerentur, ne ulterius increſceret, fieri tandem poſſe, ut libere, & ſine moleſtia ( quamvis & ſine venuſtate ) æger poſſet incedere. Propterea per alios quindecim dies ibi immoratus eſt, quibus bis quotidie luto, ſemel ſtillicidio uſus eſt. Poſtremis diebus ſtillicidij loco male affectum genu ſupra foramen thermalis aquæductus tenebat calidis vaporibus expoſitum per horæ dimidium, ulterius enim non poterat propter nimiam ſudoris copiam. Diſceſſit ſuis pedibus iter faciens, qui veniens ſtare non poterat.

OBS.

# O B S. LXXIX.

## *Ancyloſis in Genu.*

UNdecim annorum Nobilis Puer Vicetinus, ea corporis gracilitate, ingenij acumine, cutis albo, roſeoque colore, & venuſtate, quæ Medicis de humorum acritate ſuſpicionem aut inducunt, aut aliunde inductam confirmant, dum infans adhuc eſſet, & ſulphurei temperamenti, puerilibus ludis indulgens frequenter genubus terram percutiebat, quandoque vero a Præceptore ſevero genubus flexis diutius ſtare damnabatur, puerilis vivacitatis pœnas daturus. Ab externis hiſce, aut fortaſſe etiam alijs internis cauſis dolere cæpit ſiniſtrum genu. Increſcente dolore tumebat ſenſim cruciata pars cum intenſa rubedine. A peritiſſimo Chirurgo, ſcientique Medico tractatus morbus inducias aliquando inibat. Sed invaleſcentibus internis cauſis efficientibus, aut concomitantibus ita tandem recruduerat, ut nullo prorſus remedio miteſceret. Aucto in immenſum tu-

more non ſolum integumentorum , cohærentis ligamenti , & circumjacentium muſculorum , ſed & oſſearum Epiphyſium , ſubjecto crure extreme extenuato , contractis muſculis , acutiſſimo dolore nunquam penitus intermittente, & parum etiam remittente , ad cæteras Nobilis pueri miſerias acceſſit lenta continua febris, qua vires , & appetitus proſternebantur , gracileque venuſtum corpus extenuabatur . Abhorrebat ventriculus non ſolum ab omnibus medicamentis , ſed & a neceſſarijs analepticis alimentis . Hæc extrema Ægri conditio peritiſſimi Medici prudentiam non poterat non inutilem reddere , qui cum nihil intentatum reliquiſſet , ad thermalia remedia convertit animum . Lutum igitur Aponi Vicentiam translatum affectæ parti imponebatur , idque quotidie per tres circiter hebdomadas , quo nihil admodum juvante , nec lædente , id accidere propter nimiam a fonte diſtantiam creditum eſt , cujus gratia ſubfrigidum , vapidum , & inefficax efficeretur cœnum . Quare multo cum incommodo , calidiſſima tempeſtate dolentem ,

ſe-

febricitantemque puerum ad Aponum tranſtulerunt. Hunc ut vidi dolendam eximii ægri conditionem dixi, qui longi itineris incommoda fruſtra ſuſtinuiſſet, præcognoſcens thermalia luta in eo caſu nocitura potius, quam profutura eſſe. Depaſcente enim corporis ſubſtantiam continua febre, ab lutorum calore exorientes ſudores imbecille corpus magis emaciatum iri prævidebam: ſi vero non ſatis calida adhibita eſſent luta, inutilia prorſus evaſura. Voluit tamen ejus Nobilis amantiſſima Mater per paucos dies quam leniſſime experiri; ſed ingraveſcente febri, exaſperato dolore, increſcente rubore, colliquativis ſudoribus puerum prope abſumentibus brevi debuit deſiſtere, & inconſolata diſcedere.

## OBS. LXXX.

### *Ancyloſis in Genu equino.*

PAtavinas Thermas antiquiſſimis temporibus uſu Medico ſummopere celebratas fuiſſe ſatis conſtat & ex Clariſſimorum Virorum

ſcriptis, & ex vetuſtis votivis inſcriptionibus, magnorumque ædificiorum ruderibus adhuc exſtantibus, & ex antiquis tandem Numiſmatibus, quæ frequenter circa thermalia loca adhuc inveniuntur. Sed & Veterinariæ quoque uſibus inſerviiſſe oſtendunt vetuſta balnea, quæ adhuc prope fontes Aponi, Montis Ægrotorum, & Montis Ortoni viſuntur, & balnea Equorum etiam hodie appellantur. In deſuetudinem abijt quodammodo iſtorum balneorum uſus neſcio qua de cauſa; ne quis tamen credat id propter deficientem thermalium aquarum facultatem accidiſſe, omiſſis cæteris ad hanc rem pertinentibus obſervationibus hanc unam exhibeo.

Probus, pius, ingenuuſque Monachorum Caſſinenſium hujus Patavini Cœnobij Proantiſtes Abbas Tiera, prægrandem, nobilem juvenemque equum e Friſia magno ſibi pretio comperaverat, qui ut recens advenit, vel ab itineris labore, vel ab aeris, & alimentorum mutatione ægrotare cæpit. Tumorem habebat non valde durum, ſed latum ad infimi ven-

tris

tris exteriora. Innumera a Veterinarijs peritis, imperitiſque uſurpata fuerant remedia, quibus id præſtitum erat, ut evaneſceret ab abdomine tumor, ſed ejus loco alius ſuccederet in dextero poſterioris cruris genu. Brevi immaniter increverat tumor, cum cruris immobilitate conjunctus, neque ullo remedio imminui potuerat. Morbo in longum protracto, neque ullo apparente futuræ ſanationis inditio ad lanium mittere conſtituerat Abbas inutile hoc animal, ut & ab expenſis, & ab Veterinariorum ignorantia ſeſe expediret. Sed priuſquam id faceret, cum a multis audijſſet thermalia luta utilia eſſe poſſe, voluit mecum colloqui, qui cum de equino morbo non deſperarem, ſuaſi, ut quam breviſſimis itineribus, quo modo poſſet, ad Montis Ægrotorum fontes equus mitteretur. Biduo ſex mille paſſuum iter confecit multa cum difficultate, & in immenſum aucto tumore. Tibiale ex craſſo panno lineo confici curavi, quod ungui ex una parte alligabatur, ex altera vero femori per funicula erat appenſum, & calidiſſimo luto infarciebatur. Non de-

detrahebatur lutum niſi ſponte frigeſceret, nimirum poſt duas horas; idque bis quotidie. Primis diebus, quibus lutum S. Bartholamæi præſcripſeram, nulla alia mutatio apparuit, niſi quod valde major eſſet tumor, & mollior. Poſt dies octo cœnum Montis Ægrotorum priori modo adhibitum eſt, eoque tumor imminui cæpit. Reſoluto ſic ad duas tertias partes tumore, male affecto cruri inniti equus cæpit, & aliquis cruris motus apparuit; quare leniſſimam, & brevem deambulationem imperavi, qua in dies increſcente, decreſcebat ſenſibiliter tumor. Vigeſima die cœnum S. Petri Montis Anionis præſcriptum eſt ad ſex dies, quibus reſoluto penitus tumore facilis, & liber cruris motus reſtitutus eſt; & equus qui biduo ad thermas venerat, una hora Patavium redijt, neque ulla poſtea illius cruris ægritudine laboravit, multiſque annis alacriter, & robuſte officio ſuo functus eſt.

# OBS. LXXXI.

## *Artritica affectio.*

NObilis Vidua Eliſabeth Marchioniſſa Canoſſa Regienſis, melancholici temperamenti declinante ætate a ſex annis genuum doloribus affligebatur, quibus cum multa incaſſum adhibuiſſet remedia, poſtremo fontes Aponi adivit. In thermali medicatione licet nihil in melius profeciſſet, domum tamen reverſa paulo leviorem morbum perſentiebat, & quinquennio eum ſic ſatis tolerare potuit. At deficientibus ætatis cauſa menſtruis purgationibus, dolor dexterum brachium invaſit, qui in dies increſcens miſeram Matronam crudeliter per intervalla vexabat: dolori acceſſit durus magnus tumor a parva manu uſque ad flexuram cubiti ſe extendens, cum manus, & cubiti immobilitate. Quidquid ars in ſimilibus morbis præſcribere poteſt fruſtra tentatum fuerat: invaleſcebat morbus, infeſtabant vigiliæ, tremores, & convulſiones: dolebant etiam genua. Therma-

malis medicationis recordatio ante quinque annos peractæ cum quadam, levi licet, conferentia ad Montis Ægrotorum fontes compulit Nobilem Mulierem, corpore prius juxta artis præcepta præparato. Primis diebus luto S. Bartholamæi uſa eſt, utpote quod præ cæteris emolliendi facultate creditur; bis in die etiam balneo utebatur. Sudor manabat ultra modum copioſior, qui, ne nimiam virium proſtrationem induceret, ſuaſit aliquantulum ab uſu remediorum ceſſare. Thermalibus auxilijs & pharmaceutica addebantur; ſæpe enim ad primas vias laxandas oleo amygdalarum dulcium utebatur; oleo vero viperino, & lumbricorum terreſtrium inungebatur affecta pars, aliquando vero fomenta ex chamomilla, meliloto, althæa cum pauco croco præſcribebantur, ut & interna anodyna, & antiſpaſmodica, ſed fruſtraneo labore. Ad uſum ſtillicidij, & luti Montis Ægrotorum tranſitu facto, imminuebatur manus tumor, ſed nec remittebant ſpaſmi, nec emolliebatur durities, nec recuperandæ valetudinis ulla reſtabat ſpes. Nihilominus poſtremo loco

ad-

adhibitum eſt etiam lutum S. Petri Montis Anionis, ne quid ex thermis intentatum ſupereſſet. Patavium redijt eodem morbo, eademque morbi atrocitate vexata. Mercuriales purgationes inſtitutæ ſunt, multæque, & copioſæ ſanguinis detractiones, & juſculi viperini uſus, ſed inutiliter. Domum reverſa hyeme atrocioribus doloribus vexata eſt. Primo vere hydrargyroſis tentata eſt, at ejus effectus fuit omnium ſymptomatum incrementum. Tunc ſolum ab omni prorſus remedio abſtinendum eſſe ſtatuerunt. Extemplo præter omnium expectationem, & tumor ſponte evaneſcere, & ſpaſmi, doloreſque ſedari viſi ſunt; ſed exorta acutiſſima febre, cum acutiſſimis inteſtinorum doloribus, Matrona Nobiliſſima, omnique virtute ornatiſſima paucis diebus e vivis erepta eſt.

# OBS. LXXXII.

## *Cancer.*

AMita mea dilectiſſima Maria Curti melancholici temperamenti, & ſterilis, ut ad primum ſenium pervenit occulto in mamma dextera Cancro laborare cæpit. Contra opportunas Medicorum præſcriptiones brevi exulceratio ſecuta eſt. Ex aperto Carcinomate ichor manabat acerrimus, qui perfodientes dolores excitans, partes per quas transfluebat exedebat. Nullum majus levamen experiebatur a quocumque alio topico medicamento, neque a decantatis ipſis Saturninis, quam a fotu aquæ Montis Ægrotorum, balneo Mariæ tepefactæ. Ne quis tamen credat thermalem hanc aquam eſſe Cancrorum curativum remedium, ſciendum eſt patientiſſimam mulierem biennio poſt eo ipſo morbo perijſſe.

# OBS. LXXXIII.

## *Dolor & tumor Perioſtii Tibiæ.*

EſSt vulgata opinio Patavinas Thermas, niſi æſtate adhibeantur, vel inutiles prorſus eſſe, vel nocere; idque non ſolum in vulgus creditum eſt, ſed etiam a pleriſque Medicorum. Quod quantum a veritate aberret multiplicibus obſervationibus, atque experimentis mihi conſtat, & præſenti hiſtoria omnibus confirmabitur.

Nobilis Vir Comes Caſpar Migazzi Tridentinus, ut a natura fortem complexionem obtinuerat, adoleſcens venationi ſe dedit; ut a Generis claritate Nobilitatem, ab ingenij cultu atque ab educatione prudentiam, & dexteritatem ſortitus, in graviſſimis publicis, nobiliſſimiſque muneribus ſuſtinendis, provectus Vir continuo adhibebatur. Virium robur, animique conſtantia inſenſibilia fere reddebant laborioſæ vitæ incommoda. Sed ingraveſcente ætate de dolore circa tibiæ longitudinem conque-

 ri

ri cæpit, qui ſenſim increverat cum exiguo tumore, & ambulandi impotentia. Irritis ad id remedijs omnibus, conſilium expetijt Cl. P. P. P. Joannis A Bona qui per litteras difficillimum, longumque fore morbum pronuntians, nonnulla remedia propoſuit, ex quorum uſu nihil juvaminis conſecutus eſt æger, ſed increſcente magis magiſque morbo, noctes agebat inſomnes ita, ut opio indigeret quotieſcumque vel minimum dormire vellet. Extemplo Patavium venit, nihil obſtante hyeme frigidiſſima, & in manus ſe tradidit expertiſſimi illius Profeſſoris, qui multa dexteritate imminuere quidem potuit morbum, ſanare non potuit. Volebat Nobilis Vir thermalia remedia experiri, ſed ab omnibus audiebat id fieri frigidiſſima tempeſtate non poſſe. Quare voluit meam de hoc audire ſententiam, qui rationales objectiones quoad hyemalem thermarum uſum ad duas tantum redegi: nimirum ad conſtipationum proclivitatem, a quibus graviſſimi, acutiſſimique morbi procreari poſſent, & ad tempeſtatis frigiditatem, a qua thermarum vires ita ener-

enervarentur, ut inutilis evaderet ipſarum uſus.

Quoad primam objectionem, fatebar quidem apertos a thermarum uſu cutis poros facillime poſſe ab externo frigore claudi, indeque impeditam tranſpirationem, interceptumque ſudorem graviſſimas ægritudines poſſe producere; at neceſſarijs, opportuniſque præcautionibus adhibitis, neque ipſa hyeme conſtipationibus expoſitum iri corpus.

Alteram vero objectionem aliquid in me ponderis habituram eſſe dixi, ſi mihi probaretur, tempore hyemis eodem frigoris gradu quod noſtra atmoſphæra, & profunda affici telluris viſcera, quod cum rationi, & experientiæ repugnet, credendum potius efficaciora eſſe thermalia remedia hyemis tempore, quam cæteris tempeſtatibus; tunc enim ab externo premente frigido aere minorem eſſe debere e fontibus ſpirituoſarum, & volatilium particularum exhalationem. His a perſpicaci Ægro auditis, comprobante etiam Cl. Profeſſore A Bona domum meam ad Montis Ægrotorum fontes

tes ſitam petijt Vir Nobilis, ut illic propoſitæ a nobis medicationis periculum faceret. Comitem Nobilem ad thermas comitatus ſum, ibique cubiculum ad meridiem ſitum aſſignavi, monuique ne durante medicatione inde unquam exiret. Ibi ergo dormiebat, prandebat, balneo utebatur, lutabatur; æqualique continuato camini igne, ad inditium thermometri, talis aeris temperatio habebatur qualis æſtivo tempore eſſe ſolet. Per tres hebdomadas aquam B. Virginis potavit quotidie, qua per urinarias vias excreta, ſumpta coccolata, in vas ligneum aqua Montis Ægrotorum plenum deſcendebat per horam. A balneo lectum petebat, ubi lutum S. Bartholamæi ſex primis diebus, cœnum vero Montis Ægrotorum reliquo curationis tempore ſupra male affectum crus ſuſtinebat ultra horam. Detracto luto adhuc decumbebat, donec ceſſaret omnino ſudor, qui copioſiſſime erumpebat. Ab ipſo initio manifeſta apparuerunt juvaminis inditia: dolor enim imminutus valde, non ſolum ſomnum non impediebat, ſed ab ægro vix percipiebatur; tumor

quo-

quoque extenuabatur. Peracta medicatione, ablato dolore, facilis fuit ambulatio, & ſine moleſtia, aut laſſitudine; ſed tumor qui ad modum craſſæ faſciæ unius pollicis latitudinem habentis per tibiæ longitudinem excurrebat, extenuatus quidem, reſolvi omnino non potuit. Remiſſo pedetentim cubiculi calore, ut ſine periculo externo aeri, & itineri ſe exponere poſſet æger, clauſo curru meridiana hora Patavium ſe contulit, non dicam integra prorſus valetudine, at certe valde meliori.

Nunc ab ijs, quibus hæc hyemalis medicatio non arridebat, & funeſta præſagia ſine manifeſta ratione portendebant, ſciſcitabor, melioremne eventum habitura fuiſſet æſtivo tempore obſcuri hujus, difficiliſque morbi curatio? Primus ego noſtris hiſce temporibus hyeme thermalem medicationem proponere auſus ſum contra vulgatam opinionem rationi innixus. Recte ne an ſecus judicaverim, exitus morbi comprobavit. At ſi, uti frequenter in difficillimis morbis æſtate contingit, morbi iſtius natura omnem thermalium remediorum

vim reſpuiſſet, & ex proprio ingenio in deterius decidiſſet, quale de me fuiſſet eorum judicium, qui contrariam opinionem ſequebantur? Sanam quidem opinionem ſuſtinere volui, & in Conſpicuo Ægrotante, ſed non ſatis cautam, nec periculi immunem, ita ut niſi effectus votis reſpondiſſet, imprudentiæ, & temeritatis notam declinaturus non fuiſſem. Sciebam tamen Benedictum Sylvaticum (*a*) in eadem fuiſſe ſententia, ubi ait. *Neque negotium faceſſit anni tempus frigidum dum urget affectus, poteſt enim aer arte temperari, ſi cubiculo concluſus degat patiens*. Animum mihi addiderunt etiam inſcriptiones aliquæ adhuc extantes ſupra murum ædium Montis Ægrotorum, quæ multa exhibent Germanorum nomina, qui eas thermas frequentarunt anno MDLVII. 17. April.

OBS.

(*a*) **Gent. III. Conſult. 68.**

# OBS. LXXXIV.

## *Dolor Femoris acutiſſimus ab externa cauſa.*

JOſephus Remondini Baſſanenſis formoſus, & elegans juvenis, dum Venetijs per viam glacie obductam tranſiret, jam jam prolapſurus, tanta vi ſeſe ſuſtinuit ne caderet, ut acutiſſimum ad femur dolorem perſentiret, qui, ne ultra progrederetur impedimento fuit. Dolori quotidie increſcenti ſanguinis detractionibus, & purgantibus fruſtra occurſum eſt. Lecto detentus æger aſſidue cruciatus noctes degebat inſomnes: ad opiata & narcotica ventum eſt, & cujuſcumque generis fomenta, emplaſtra, unguenta, cataplaſmata, cerata, & infinita alia, non meliori fortuna. E lecto quidem ſurgebat, ſed ad ambulandum ineptus erat omnino. Torquebant ægrum vigiliæ, & nutrimentum corporis abſumebant. Tria, quatuorque opij grana vix ſatis erant, & aliquando

non ſufficiebant ad brevem ſomnum inducendum. Prœterea, quod mihi maximum timorem incutiebat, crus male affectum non mediocriter emaciabatur. Adverſus pertinacem ferocemque morbum nihil intentatum reliquum erat præter Patavinas Thermas, quibus præſcriptis a Sapientiſſimo Morgagnio, de earum ſpecie, doſi, & utendi modo omnis mihi tradita cura eſt. Ut igitur ad Montis Ægrotorum fontes circa initium menſis Julij ſe tranſtulit adoleſcens, lutum S. Bartholamæi toti dolenti artui quotidie præſcripſi, per horam, & calidiſſimum, & inſuper hora a prandio quarta balneum ad collum uſque ſatis calidum. Sudor & igneo temperamento, & thermali, æſtivoque calori, & juvenili ætati ſatis & ultra reſpondebat. Primis diebus multum levaminis expertus fuit. At cum variæ, juvenileſque viciſſitudines ab exacta, & medica vivendi ratione vivaciſſimum adoleſcentem ſæpe revocarent, fieri non potuit quin cita, & integra ſanatio vel impediretur, vel retardaretur. Nihilo tamen minus poſt quatuordecim balneorum, toti-

tidemque lutationum uſum, quarum poſtremæ ex luto Montis Ægrotorum factæ ſunt, perfecte ſanus, alacris, & robuſtus diſceſſit juvenis; qui paulo poſt elegantiſſimam, & ſuaviſſimam puellam Venetam, Thereſiam Gaudio uxorem duxit ex qua formoſos, & fortes ſuſcepit filios, neque femoris dolore unquam laboravit poſtea.

## OBS. LXXXV.

### *Fungus.*

COmes Tyberius Parma Veronenſis a multo tempore fieri cachecticus cœperat: medicis præſidijs ad ſanguinis, cæterorumque humorum diſcraſiam corrigendam præſcriptis varie diuque tractatus nihil profecerat. In deterius quotidie magis ruebat morbus colore obſcuriori facto, cutaneis efflореſcentijs totum corpus inquinantibus, crurum œdemate, & quibuſdam tumoribus hac illac erumpentibus figuræ & magnitudinis variæ, fungos tamen æmulantibus. Hydrargyroſis in uſum vocata eſt,

 par-

partim id ſymptomatibus ſupradictis indicantibus, partim alterius morbi quadam, non ſatis probabili ſuſpicione. Ab hydrargyroſi leviter tolerata, non melioris indolis evaſit morbus. Tumor qui omnium major medium fere plantæ pedis occupabat increvit valde, & ſi vel breviter deambulare vellet æger, calceum in quo eſſet inſculpta fovea ad tumorem includendum adhibebat. Acidula Recobarij aqua adhibita nihil juvit. Tandem ad cauſtica deventum, quorum diuturno uſu exaſperatus tumor ( ad majorem enim tumorem ſolummodo apponebantur ) majoribus ſtipabatur doloribus, cum fœtidiſſimæ ſaniei effuſione. Patavium ſe contulit, & in itinere largam hæmorrhagiam paſſus eſt ab ipſo tumore erumpentem. Clariſſimorum Profeſſorum Joannis A Bona, & Joannis Sograffi conſilio uſus eſt, qui aquæ Virginis potum, & Aponenſia balnea propoſuerunt. Ad Aponum cum perveniſſet Illuſtrium Virorum præſcriptiones mihi expoſuit. Sumebat igitur quotidie aquam B. Virginis in ſumma doſi ad libras quinque, quæ primas

vias

vias abluendo, urinas copioſe ciebat. Balneo præterea bis in die utebatur, fere ad integram horam, frequenter etiam ſpongia aqua Aponi calida imbuta crura humectabat. Luta quoque propoſita fuerunt, ſed ne ijs uteretur Vir Nobilis auctor fui; ſi quid enim ab thermali medicatione in eo caſu ſperandum eſſet, id omne a ſolo balneorum uſu, & aquæ B. Virginis potu derivaturum. Vel a primis diebus cutis color parum vividior fieri cœpit, promptior appetitus, alacriorque animus. Fungus vero major qui craſſiſſimo pedunculo vicinis partibus tenaciſſime adhærebat, parumper ab ijſdem diſſociari cœperat, & ejus craſſus pedunculus extenuari: odor prius fœtidiſſimus poſtmodo aliquanto minus gravis, & poſt duas hebdomadas ſanies vix olebat. Sed fungorum ſemine in ſanguinea maſſa præexiſtente nulla integræ recuperandæ valetudinis ſpes erat, ſed magnus Elephantiaſis metus. Idcirco inſumptis in thermalem curationem quindecim diebus eo redactus erat fungus, ut ex quo Patavium redijt æger, ſtatuerit ſupradictus Chirurgiæ Profeſſor

filo-

filo ſerico illum alligare. Quo facto triduo decidit fungus. Ablato fungo non ideo ſanatus æger, nam reliquis ſymptomatibus, licet levioribus, perſeverantibus, illud ſolum mihi viſus eſt obtinuiſſe, ne morbus increſceret. Quod etſi parum quibuſdam, & præſertim Nobili Ægro viſum ſit; conſideranti tamen morbi characterem, humorum diſcraſiam, & imminentem, aut incœptam Elephantiaſim, patebit, pauca, vel nulla eſſe in triplici auxiliorum Medicorum fonte remedia, quæ cum thermalibus iſtis comparari poſſint, ſive ipſorum facultas perpendatur in hujus ulceris depuratione, & pedunculi extenuatione; ſive blandities, nullum enim unquam vel minimum doloris ſenſum animadvertit æger ſive balneo, ſive thermali fotu uteretur.

## OBS. LXXXVI.

*Ad Humeri luxationem proclivitas.*

PUlchra, & venuſta juvenis Matrona Veronenſis Eliſabeth Comitiſſa Bovio dum per

ur-

Urbem curru iter faceret, aurigæ imprudentia, & equorum effrænato impetu inverſus eſt currus, inverſuſque ab equorum furore ad aliquod ſpatium adhuc pertractus. Quot quantaſque concuſſiones ſuſtinuerit expavefacta tenella Matrona unuſquiſque facili conjectura aſſequetur. Ex effracto curru extracta Nobili muliere dexterum brachium ad pectus procidens obſervatum eſt, ſtatimque de humeri luxatione ſuborta ſuſpicio. Præmiſſa igitur ob conceptum pavorem copioſa ſanguinis emiſſione, caput humeri a perito Chirurgo in ſuam ſedem conſuetis modis, & præcautionibus repoſitum eſt. At quia vel juvenis patiens impatientiſſima, & fibrarum textura delicata nimis, ſulphureo-bilioſi temperamenti, curationis tempore brachium a neceſſaria immobilitate frequenter dimovit, vel quia in detruſione magno impetu peracta infirmatum, & debilitatum nimis fuit coercens ligamentum, ſæpe, & leviſſima de cauſa caput humeri e ſua ſede diſpellebatur, puta in ſternutationibus, dum tibialia induerentur, & ſimilibus corporis motionibus. Ut facilli-

cillime luxabatur os, ſic & facillime reponebatur. Emplaſtra cerata, fomenta roborantia, & adſtringentia diutius adhibita fuere, ſed non majori difficultate e ſua ſede dimovebatur humerus. Tandem thermalia luta propoſita fuere, & ea præcipue, quæ e fontibus Montis Ægrotorum petuntur. Hinc ad indicatas thermas ſe contulit Ægra, ibique cum animadvertiſſem nullo prorſus diſcrimine utroque brachio liberrime ipſam uti, ſuaſi, ut toto medicationis tempore collo ſuſpenſum teneret brachium, quod ab impatienti ſulphureoque ejus ingenio non facile obtinui. Luta Montis Ægrotorum quotidie bis humero, claviculæ, & ſupremæ ſcapulæ valde calentia imponebantur, per viginti quatuor dies. Sudabat ultra modum gracilis, delicataque mulier. Circa medium medicationis tempus, dum curru, delectationis gratia, mecum expatiaretur, forte fortuna expavefactis equis, indeque magis expavefacta Matrona, e curru momento temporis ſaltu ſe disjecit, & licet (quod raro accidit) in terram non ceciderit, ab immani concuſſione illico dolorem

ad

ad caput humeri perſenſit. Domum reverſa perſiſtente dolore, inſtituto examine, obſervavi claviculam, qua parte in ſcapulam inſeritur, paulo elatiorem: propterea ſequenti mane repoſitio peragi debuit, lutorumque uſus continuatus eſt. Finita curatione Veronam redijt, ibique, ut ex multis qui eam cognoſcebant ſcire potui, ſemper bene ſe habuit, firmato perfecte in ſua ſtatione humero.

## OBS. LXXXVII.

### *Iſchiadicus dolor inveteratus.*

ISchiadicos dolores thermis probe ſanatos, aut ſaltem valde imminutos quotannis vidi; ne quis tamen credat thermalia remedia ad id morbi tutiſſima ſemper eſſe, conſulto hanc hiſtoriam volui evulgare.

Dionyſius Moletta Mercator ex Caſtro Franco ſexagenarius, ſicci temperamenti, graciliſque texturæ per multos annos iſchiadico dolore affligebatur, & frequenter ad deambulandum impar efficiebatur. Conſilio Pub. Primarij Me-

dicinæ Profeſſoris Jacobi Placentini ad Montis Ægrotorum thermas ſe tranſtulit. Primis diebus balneo utebatur per dimidium horæ, poſt balneum totum crus cœno S. Bartholamæi lutabatur per horam. Ultra modum ſudabat, & ne vires deficerent, juſculum ſumebat in ipſo balneo cum ovi vitello. Singulis hebdomadis pulvere cornachinæ purgabatur. Die octava facilius ambulabat, ſed intendebatur dolor. Luto S. Bartholamæi per quatuor dies lutum S. Helenæ ſubſtitui: at cum parum, vel nihil proficeret, revocantibus etiam domeſticis negotijs, ut venit diſceſſit. Poſt hyemem interrogavi an quid levaminis, ut pleriſque accidit expertus eſſet, ſed nihil obtinuit. An quia nimis brevis medicatio? an quia morbus nimis inveteratus in corpore ſenili vim remediorum reſpuerit?

OBS.

# OBS. LXXXVIII.

## *Lumbago.*

PAtavinus quidam Vir, procera ſtatura, obeſus valde, cujus Deus venter erat, ab adoleſcentia Veneri deditus, multoties gallico morbo correptus, & mercuriales medicationes paſſus, cum ad conſiſtentem ætatem perveniſſet lumborum dolore vexari cepit, qui aſſidue increſcens, & majori ferocitate, frequentia, & duratione recurrens, noſtrorum Medicorum ſolertiam eluſit. Forte fortuna dum mecum de morbi pertinacia conquereretur, dixi inveteratum, obſtinatumque morbum thermis noſtris, licet non facile, tamen fugari poſſe. Itaque ad Montis Ægrotorum fontes ſe tranſtulit patiens meas quaſcumque præſcriptiones executurus. Aquam B. Virginis quotidie ſumebat ad quinque librarum doſim præmiſſo Cathartico, quod quinta quaque die repetebatur. Quotidie balneo utebatur valde calido, quotidie lutum Montis Ægrotorum ultra ho-

ram lumbis apponebatur. Incredibilis eliciebatur e vaſto corpore ſudor, nullo doloris lenimento, ſed aliquo potius incremento. Quare de valetudine deſperans ad diſceſſum ſeſe parabat poſt decimum diem. Ego unum adhuc experimentum tentandum ſupereſſe expoſui, quod licet crudele videretur, tantæ tamen eſſet efficaciæ, ut inſanatam, deſperatamque ægritudinem tollere, vel imminuere poſſet. Paratus ad omnia pericula ſubeunda, quæ ſanationis, vel levaminis ſpem exhiberent, ad indicatum tentamen ultro ſe obtulit. Propterea inſequenti die poſt luti detractionem manante adhuc ſudore totam lumborum regionem urticis fuſtigari feci. Minori quam timuerat dolore cruciabatur, vel quia diuturnis vexata doloribus pars non adeo exquiſiti erat ſenſus, vel quia ſanationis ſpes dolorem lenibat; hoc unum eſt, quod altero, tertio, & quarto die eandem fuſtigationem ſuſtinuit. A fuſtigationibus innumeræ fere veſiculæ exortæ ſunt flavum humorem limphaticum eructantes, quæ octiduo prorſus exſiccatæ ſunt delapſis etiam cru-

ſtu-

ſtulis. Producta poſtea ad menſem uſque thermali eadem medicatione, imminui ſenſim lumbaris dolor cepit, & circa menſis finem omnino evanuit. Diſceſſit ſanatus vir, neque eo morbo amplius laboravit.

Si quis ex me quærat, utrum Thermæ, an fuſtigationes morbum ſanaverint, pro utriſque reſponderem. Balnea enim, & luta morboſam materiem attenuando, rarefaciendo, & ad exteriora evocando, illam eo redigere fortaſſe potuerunt, ut per reſeratas a fuſtigationibus vias eliminaretur.

## O B S. LXXXIX.

### *Lumbago Rheumatica.*

GEorgius Coſſovick Dalmata conſiſtentis ætatis, & robuſtiſſimæ texturæ, cum per tres annos immani, aſſiduoque ad lumbos dolore detineretur, quodam veluti impetu excitatus ad thermas cucurrit, experiri anhelans quid thermæ præſtare poſſent intra paucos dies ( non poterat enim diutius immorari ) in tanto morbo,

bo, ſi ſine ulla moderatione, nulloque profter-nendarum virium reſpectu adhiberentur. Ex impatienti ipſius ægri, vel Nationis ingenio vix obtinui, ut purgationem, & ſanguinis detractionem thermali medelæ præmitteret. Sanguis detractus pleuriticum referebat. Bis in die utebatur balneo, bis quoque luto ad lumbos; utroque in tanto caloris gradu, ut ſuſtineri non poſſe videretur; calor enim luti ad quinquageſimum tertium gradum, balnei ad quadrageſimum nonum erat, ſi Reaumourgiano thermometro inſtitueretur examen. Nullo argumento præſtare potui ut mitiori calore uteretur, aut breviori tempore. In ferocioribus ingenijs parum, aut nihil valet ratio; ſtat enim pro ratione voluntas. Quantum ſudoris effluxerit proclive eſt intelligere, attenta robuſti corporis temperatura, ætate, calidiſſima tempeſtate, thermarumque ſummo calore, diuturnitate, & quadruplicato quotidiano uſu. Septima die nullum amplius dolorem ſentiebat; die octava veluti de repente diſceſſit integram valetudinem ſe obtinuiſſe firmiter credens; quod

ve-

verum ne fuerit, an ſecus, niſi temporis progreſſu cognoſci non poterat. Inutili diligentia de ipſo ſæpe ſciſcitatus ſum, at nihil poſtea ſcire potui.

## O B S. XC.

### *Oedemata pedum, crurumque.*

TOt œdematos tumores quotannis thermis noſtris probe ſanatos obſervo, ut ſi ſingulorum hiſtorias deſcribere velim, & dies me, & benevolos lectores patientia defectura ſit. Ne igitur abundem in ſuperfluis, unicam tantum medicationem exponam, quæ cum de graviſſimo œdemate ſit, cæterorum leviorum perfectam ideam ſuppeditabit.

Antonius Baruſius faber lignarius Patavinus, ſanguinei temperamenti, nec roboris ſatis firmi, vino maxime deditus, laborioſam artem ſuam ſtando fere ſemper alacri animo, proſperaque valetudine exercuerat. Ætate ad primum ſenium declinante quotidie circa veſperas paulatim intumeſcere pedes ceperant. Negli-

gligebatur tumor, cum nullam afferret moleſtiam, & noctu prorſus evaneſceret. At diuturnitate, & vini abuſu perſeverante incrementum ſuſcipiebat œdema, die, nocteque manens, & ultra malleolos excurrens ad ſuras producebatur; minuebatur quidem aliquantulum nocte, ſed ſtanti, & ambulanti maximum afferebat incommodum. Varijs externis remedijs nihil profectum, vel quia non admodum convenirent, vel quod laborioſam artem, quæ niſi ſtando exercetur, dimittere non poſſet æger, vel quia, quod tamen potuiſſet, quotidianis ebrietatibus ſeſe abſtinere nunquam voluit. Dum operam ſuam in reficiendis Montis Ægrotorum ædibus mihi locaſſet, & hydropis timore eſſet perterritus, ut vanum hydropis metum deponeret ſuaſi, cum de eo morbo nulla eſſent certa inditia, & vini abuſum ſummopere interdixi, & lutum Montis Ægrotorum ad crura præſcripſi. Prima præſcriptionis medicæ parte neglecta alteram executus eſt, & per duas hebdomadas calidiſſime ultra horam lutabatur. E cruribus, veluti e madida compreſſa ſpongia,

gia , ſudor manabat copioſiſſimus. Poſt medicationem ad naturalem ſtatum redactis cruribus bene ſemper ſe habuit.

## O B S. XCI.

### *Perniones.*

PRoprijs adhuc magis quam Generis dotibus præclarus Nobilis Juvenis Comes Marcus Antonius Triſſinus Vicetinus a prima adoleſcentia graviſſimis pernionibus vexabatur hyeme in pedibus præſertim. Exulcerabantur perniones frequentiſſime ſupra chordam magnam, & propterea ad integras hebdomadas lecto defigebatur. Ut ad vigeſimum circiter ætatis annum pervenit, deterioris indolis factus morbus, non ſolum hyeme, & vere atrocius infeſtabat, ſed male tractato per totam hyemem Achillis tendine, in ipſa æſtate ad moderatum etiam localem motum dolebat valde tendo, & non leve œdema in utroque crure apparebat. Multa tum interna, tum externa remedia a prudenti Medico, & in Chirurgicis peritiſſimo Doctore Fran-

ciſco Stella Vicetino inutiliter uſurpata fuerant. Ultimo loco auctore etiam Sapientiſſimo Morgagnio thermalia luta propoſita ſunt. Ad medium Auguſti anni MDCCLXV. ad Montis Ægrotorum balnea ſe tranſtulit Nobilis Juvenis, & per dies novemdecim lutum illius fontis ſemel in die, & bis alternis diebus ſuſtinebat ſupra crura, & balneo etiam ſatis calido frequenter utebatur. Copioſis ſudoribus non ſolum reſolutum omnino eſt œdema, ſedatuſque dolor, ſed tantum roboris affectis partibus adeptus eſt æger, ut circa medicationis finem, tumulum Franciſci Petrarchæ inviſendi gratia, ſuper Arquati Montem pedibus aſcendere, indeque deſcendere, ſine ullo laſſitudinis ſenſu, aut minima moleſtia potuerit. Ab laborioſo itinere ſymptomatum recidivam timebam; at poſtero die nihil omnino mali apparuit. Sequenti hyeme pari ſævitia redierunt Perniones, conſuetas in Achillis tendine impreſſiones relinquentes; quare & altero anno viginti duobus diebus thermali medicationi ſe ſubjecit, quotidie balneo, & luto utens: ultima

heb-

hebdomada lutum S. Petri Montis Anionis adhibuit. Redierunt rurſus hyeme perniones aliquanto mitioribus ſymptomatibus, ſed ad æſtatem conſueto modo productis. Celebrium Medicorum, & exterorum etiam exquiſitis opinionibus, non defuerunt qui tertiam thermalem medicationem proponerent; at Nobilis Æger, vel quia non valde leviorem morbum experiebatur, vel quia uberiores effectus a thermis non ſperabat, maluit demulcentibus decoctis, circulato viperino, purgantibus, & alijs ſibi mederi, quam thermis. Morbus miteſcebat ſenſim, & redeuntibus hyeme pernionibus, ab omni tandem æſtivo ſymptomate immunis evaſit egregius Vir.

Cum poſt thermales medicationes perſtiterit morbus, & multa poſtea uſurpata fuerint pharmaceutica remedia, dubitabit fortaſſe aliquis num quid in ſupradicto morbo juverint thermæ? Huic interrogationi ſequentes conjecturas ſubjicio.

Primo anno thermali medicatione pernionum ſymptomata æſtiva ita diſparuerunt, ut

æger ſine moleſtia arduum illud Montanum iter confecerit, quod vix a ſaniſſimo homine ſine incommodo confici potuiſſet. Redierunt nihilominus inſequentibus annis perniones, nihil obſtantibus repetitis thermalibus medicationibus, & æſtiva pernionum ſymptomata ſolummodo diſparuerunt poſt demulcentia decocta, purgantia, & ſimilia. At hujuſcemodi remedia diutius ante thermales medicationes ſine ullo proſpero effectu fuere uſurpata. Cur igitur poſt thermarum uſum pharmaceutica remedia eam vim adepta ſunt, quam antea non habuerunt? Quoniam vero in hiſce meis obſervationibus non ſemel adnotavi perfectas morborum ſanationes a thermalibus medicationibus aliquando multo tempore diſtare nullo alio interpoſito remedio, non video cur & iſtam in earum claſſem referre non liceat.

# OBS. XCII.

## *Podagra recens.*

NIhil eſſe in Medicina abſolutum, ſed omnia reſpectiva unicuique Medico notum exiſtimo. Podagram morbum eſſe arte inſanabilem aſſerunt Auctores: huic ſententiæ ſequens obſervatio aliquo modo repugnare videtur.

Civis Patavinus ab adoleſcentia morbo gallico ſemel, iterumque correptus fuerat, & per opportuna remedia convaluerat. Per multos annos integra, & robuſta fuit corporis valetudine, donec circa extremum pollicis pedis articulum perfodiente exorto dolore cum intenſo rubore, & totius pedis tumore noctes dieſque haberet inſomnes crociſſimis cruciatibus aſſidue vexatus. Imperiti Chirurgi conſilio fomentum ex lacte cum ſambuci floribus ebullito dolenti parti impoſuit; at exaſperato crudelius dolore fomentum, & fomenti auctorem iratus projecit. Morbus ſponte poſt hebdomadam miteſcere viſus eſt, ſenſimque evanuit: at poſt

men-

menſem pari, aut majori atrocitate revertens impatientiſſimum virum lecto quindecim diebus iterum defixit. Lenito poſtea quadantenus dolore, ſtatim ac ſurgere potuit, nullo Medicorum conſilio ad Montis Ortoni balnea ſe tranſtulit; ibique bis in die calidiſſimo balneo utebatur per horam. Ultra modum ſudabat tota die, totiſque noctibus. Decimo die diſceſſit profligata penitus Podagra, a qua poſtea immunis ſemper fuit.

Morbi hujus abſcondita natura, quæ aliquando multorum annorum inducias facit, dubium movet, utrum iſtius ægri ſanatio a balneorum uſu provenerit, an a natura, vel ab ipſius morbi ingenio.

## O B S. XCIII.

### *Rheumatici humoris ad femur decubitus.*

SPecioſus forma, Nobilitate præclarus, morum ſuavitate præclariſſimus Adoleſcens Comes

mes Clemens Moſti Ferrarienſis acutis febribus vexatus, ſanguinis emiſſionibus, diluentibus, & temperantibus eo pervenerat, ut ſedata febre convaluiſſe crederetur, & jam a lecto ſurgeret. At poſt paucos dies cum exiret e prandio immani oborto ad femur ſiniſtrum dolore, ad motum extemplo ineptus redditus eſt. Lecto rurſus a ſervis repoſitus fuit, cujus calore adeo increvit dolor circa omnes femoris muſculos, ut non ſolum male affectum crus ne minimum quidem movere poſſet, ſed nec cæteras corporis partes; a leviori enim quocumque, & ab affecta parte remoto motu ſummopere exacerbari dolorem experiebatur, hincque immobilis multis diebus jacebat. Sanguis rurſus detractus, decocta diſcutientia, & reſolventia, fomenta anodyna, atque attenuantia id effecerunt, ut & dolor imminueretur, & Nobilis Adoleſcens e lecto rurſus ſurgeret, & parumper deambularet, ſed ſervis & machinis ſuffultus; tota enim femoris muſculago rigeſcens ad motus quoſcumque edendos inepta erat, & aliquando ab nimia fibrarum diſtenſione affectum

crus

crus ſano longius ad tres, quatuorque digitos evaſerat. In tam miſero rerum ſtatu Medicis in conſilium vocatis, non defuerunt qui morbi hujus phænomena omnia a capitis femoris luxatione repetenda eſſe aſſererent. Opinionum Medicarum conflictus id effecit, ut ad oraculum hujus ſeculi, incomparabilem Virum Jo: Baptiſtam Morgagnium P. P. P. confugeretur. Perceptis, & penſitatis a Prudentiſſimo viro omnibus morbi antecedentibus, & concomitantibus, experto juveni, & in Chirurgicis, Anatomiciſque ſupra ætatem exercitato Antonio Scarpa Forojulienſi ( nunc apud Sereniſſimum Mutinæ Ducem Anatomiæ magna cum laude Profeſſori ) commiſit, ut omnia experimenta, & obſervationes inſtitueret, ex quibus vel de femoris luxatione certo conſtare poſſet, vel ejuſdem ſuſpicio omnis penitus tolleretur. A Sapienti Sene indicta experimenta, ab Scarpa exquiſite inſtituta ſunt, ex quibus Morgagnio conſtavit, ne minimam quidem ſupereſſe luxationis ſuſpicionem. Quapropter ſtatuit Vir Cl. cauſam morbi eſſe rheumaticam tenuiſſimam

ma-

materiem ( cum nullus unquam tumor apparuiſſet ) ab antecedentibus febribus minime, vel non ſatis ſubactam, & poſt ipſas, vel ab ipſis ad femoris muſculos determinatam. Ideo decocta ex Cinna, & Salſa parilla præſcripſit, & fomenta etiam reſolventia, ſiccas frictiones, convenientem diætam, opportunumque regimen. Hiſce Patavij per menſem in uſum revocatis adeo profectum eſt, ut æger libere ſeſe moveret, diuque quotidie ambularet, & ſine ulla moleſtia. Reſtabat nihilominus in motu affecti femoris quædam veluti ruditas, & æger poſt breves ſeſſiones aliqualem cruris torporem perſentiebat, quæ omnia Anatomicorum Princeps ex fibrarum laxitate repetebat, obſcura tamen manente in ipſo ſuſpicione tenuiſſimi alicujus rheumatici humoris. Quare ad perfectam egregij Juvenis ſanationem, lutorum thermalium appoſitionem adhuc requiri ſtatuit. Sed de lutorum ſpecie, & utendi modo nihil voluit proferre, aſſerens ( ut ipſius verbis utar ) id ab nemine melius, quam a me determinari poſſe. Itaque Menſe Auguſti anni MDCCLXXI.

dum ad thermas publicis meis muneribus ſungerer, Patavium me compellarunt, ut meam opinionem coram Viro Sapientiſſimo proferrem. Lutum igitur Montis Ægrotorum ut reſolvendi, & roborandi facultate præditum ſupra cætera commendavi, atque ab ejus uſu reſidua diſparitura ſymptomata promiſi. Ad Montis Ægrotorum fontes perductus Nobilis Juvenis eo luto per dies quindecim uſus eſt quotidie per horam circiter. Quamvis moderati caloris eſſet lutum, nihilominus plus manabat ſudoris, quam quod teneræ ætati, gracilique texturæ par eſſe videretur: ſed cum valeret appetitus, alacris maneret animus, & vires non ſolum non infringerentur, ſed augerentur, nec minus calenti luto, nec ad brevius tempus eum uti volui: cenſebam enim non ſolum ſupereſſe fibrarum infirmitatem, ſed & aliquid adhuc peccantis materiei intra muſculorum fibras latitare, ſine cujus eductione minime ſanari poſſe ægrum; neque educi melius poſſe rheumaticam materiam, quam copioſo illo ſudore exiſtimabam. Exitus voto reſpondit; nam poſt

ſex-

ſexdecim dies diſceſſit Nobiliſſimus Adoleſcens perfecte ſanus, alacris, robuſtus, pulcherrimo colore, & bene nutritus.

Interim dum hæc ſcribo extremo fato ceſſit immortalis Vir Morgagnius: quare liceat mihi tanti Præceptotis una cum hoc noſtro Gymnaſio, de quo adeo benemeritus eſt, una cum Anatomica, Medica, & Litteraria Republica, una cum bonis omnibus, & honeſtis Viris mortem deplorare. Obijt Vir incomparabilis Non. decemb. an. MDCCLXXI. ætatis ſuæ XC. apoplexia correptus. Facciolatus in Hiſtoria Gymnaſij Patavini de eo habet hæc verba: *Vir in univerſæ vitæ æquabilitate ſine exemplo maximus*. Ego vero qui Morgagnium agnovi multo melius quam Facciolatus ( a prima enim adoleſcentia me ſuſcepit, mea ſtudia diſpoſuit, conſilio juvit, familiaritate donavit, doctrina erudivit, & peculiari benevolentia uſque ad mortem proſecutus eſt ) dicam potius: Vir in Anatomicis, Medicis, Litterarijs, in vitæ integritate, animi candore, morum ſuavitate, & elegantia, fama, & ſcriptis ſine e-

xemplo maximus. Ut ejus memoriam obſequio, benevolentiam grata recordatione perpetuo veneraturus ſum, ſic grati mei devinctique animi publicum hoc teſtimonium extare volui.

## OBS. XCIV.

### *Rheumaticus dolor ad Scapulam.*

AMicus meus Valentinus Moller Sacerdos Forojulienſis igneo temperamento, ætate conſiſtenti, in cibis, potuque temperatus, religioſe cœlebs, rerum agendarum multiplicitate fere ſemper nimium occupatus, frequenter ipſo hyeme ſudabat, ſudanſque indiſcriminatim calidis frigidiſque locis ſe exponebat, nulla ſudorem abſtergendi cura; de dolore circa ſiniſtram ſcapulam oborto conqueri cepit, & dolor brevi adeo increvit, ut lecto ad hebdomadas detineretur. Sudorifera decocta, diſcutientia, lenientia, attenuantia, purgantia, largæ & frequentes ſanguinis emiſſiones, opiata, exterius vero fomenta, emplaſtra, cerata, linimen-

menta etiam mercurialia biennio fruſtra adhibuit. Id unum exiliter dolorem lenire quodammodo videbatur, nempe calidiſſima puls ex frumento turchico impoſita. Noctes frequenter habebat inſomnes; cæterum nulla febris, robuſtæ vires, ſufficiens appetitus, corpus non extenuabatur, animus aliquantulum triſtis. Propoſitæ a quibuſdam Medicis hydrargyroſi noluit unquam ſe ſubmittere, ſibi conſcius a venerea cauſa pendere morbum minime poſſe. Patavium dolens pervenit, ipſique thermarum uſum ſummopere commendavi. Æſtate igitur ad Montis Ægrotorum balnea ſe contulit, & balneo, lutoque illius fontis calidiſſimo uſus eſt quotidie duodecim diebus. Copioſiſſime ſudabat, ſed nullo doloris levamine. Deperdita omni prorſus ſanationis ſpe diſcedere voluit, neque ullo argumento ab ipſo impetrare potui, ut ſaltem uſque ad decimum quintum diem medelam protraheret. Iratus poſt balneorum uſum nullo alio remedio uti voluit. In autumno per intervalla affligebat eum dolor, & minori acutie: Apropinquante hyeme inter-

val-

valla dolore libera erant longiora ; finita hyeme diſparuit omnino dolor , nec amplius redijt . Hoc phænomenon in thermalibus medicatiònibus frequentiſſimum eſſe , ſuperius multis in locis adnotavi .

## O B S. XCV.

### *Rheumatiſmus a partu .*

ELiſabeth Garzetta Veronenſis fœcunda Mulier ultimo partu crurum doloribus infeſtabatur . Principio mites erant dolores , vagi , & per intervalla recurrentes , ſenſim tamen graviores , & continui facti ſunt , & robuſtam alioquin , & bene coloratam mulierem ad ambulandum ineptam reddiderunt . Quadriennio a diligentibus Medicis tractata multifarie , nihil profecit : morbus augeri potius , quam conſiſtere , aut imminui viſus eſt . Sic affecta Patavium venit , ut Cl. P. P. P. Joannis A Bona conſilio uteretur , qui thermalem medicationem præſcribens ad Montis Ægrotorum fontes miſit ægram , ut a me quocunque

mo-

modo videretur, tractaretur. Mane igitur balneo utebatur, poſt prandium luto, & per horam, & quotidie. Septima medicationis die perfecte ſe valere aſſerebat; at cum tempeſtatis calor eſſet moleſtiſſimus, & nudis cruribus noctu obdormiret, mane expergefacta ſummum frigus in cruribus perſenſit, acutoſque priſtinos dolores, qui biduo evanuerunt. Diebus duodecim peracta eſt cura; penitus convaluit, & bene adhuc ſe habet.

Nil miror ſi tam brevi tempore a gravi, & longo morbo ſanata fuerit ægra: erat enim Juvenis, ſanguinei temperamenti, robuſta, nulla humorum labe infecta, morbus a mobili materie, tempeſtas calidiſſima, regimen optimum, ſexus muliebris: fœminæ enim cum laxioris ſint texturæ ab humorum congeſtionibus, cæteris paribus, facilius liberantur, quam viri.

Cum autem die ſeptima bene valeret, ſtatim ac nudis cruribus obdormiit, renovati ſunt rheumatici dolores. Hujus rei cauſa facile intelligi poteſt. Nam thermalium remedio-

rum

rum uſu non ſolum attenuata eſt morboſa materies, ſed etiam pro majori parte expulſa. Cutis pori erant aperti, circulantes humores mobiliores. Die ſeptima reſtabat fortaſſe parum aliquid morboſæ eliminandæ materiæ, quod per apertos cutis meatus inſenſibiliter perſpirabat. Cruribus nudis humidiori ſubfrigido nocturno aeri expoſitis, tranſpirationis viæ interclaſæ ſunt: unde ſtagnante rurſus morboſa materie in partibus & morbo, & remedijs debilitatis, novi dolores exorti ſunt, qui rurſus evanuerunt ſtatim ac per repetita thermalia remedia reſeratæ fuerunt viæ.

## O B S. XCVI.

### *Rheumatiſmus cum morbi gallici ſuſpicione.*

JUvenis Anglus robuſtæ texturæ, & incoſtantis ingenij, varias peragrando mundi partes, ut erat ad Venerem pronus, multas paſſus eſt virulentas gonorrhæas, quibus tamen op-

opportunis remedijs occurrit. Exiguæ reſtabant nihilominus curati morbi reliquiæ circa urethram ; nam & aliquam in reddenda urina difficultatem experiebatur æger ; & alba filamenta in urinis natantia conſpiciebantur , & albi quid , glutinoſique humoris ex urethra ſtillatim fluebat.

Dum per mare iter faceret , immani oborta tempeſtate in ſummum vitæ diſcrimen adductus eſt Anglus, fluctibus, vento , & pluviæ in male tractata , neque integra navi , frigidiſſima nocte expoſitus. Pavor , tremor , & totius corporis concuſſio tanta fuit , ut in Anglico animo incredibilis videretur . Poſtero die dolorem ad ſcapulas perſenſit , qui ſenſim augebatur , & cum alijs corporis articulis communicabatur , & præſertim cum artuum omnium juncturis , cum extremorum œdemate , motus impedimento , & ſenſus hebetudine. Peracto maritimo itinere alia terreſtria longiſſima fecit ; ſed multis in locis valetudinis cauſa debuit immorari , & medicis ſe committere, Pariſijs nempe , Monſpellij , Viennæ , Neapoli,

Florentiæ , Venetijs. Quot Medici , tot fuerunt de eo morbo ſententiæ. Aliqui enim a ſolo Gallico morbo ſymptomata omnia repetebant, alij Scorbuticam luem ſtatuebant , alij Arthritidem vagam , Podagram , Chiragramque alij, alij Paralyſim , nec defuit qui Hydropis ſuſpicionem injiceret. Diſcriminatim & ſucceſſive remedia ad ſingulos enumeratos morbos adhibuit, hydrargyroſim etiam Monſpellij, & Neapoli ſuſtinuit , ſed nullo profectu. Cum eſſet Venetijs , ingraveſcente morbo Celeberrimum , & prudentiſſimum Medicum Hebræum Cervum Coniglianum in conſilium vocavit , qui præmiſſis quæ corpus purgare , plethoram tollere, ſanguinemque depurare ſolent, ad Aponum miſit ægrum , ut meis præſcriptionibus ſe ſubjiceret. Poſtquam igitur omnia & ſingula ad morbum quoquomodo ſpectantia lentiſſime mihi , & fuſe expoſuit Anglus , ſciſcitatus eſt a me , quonam morbo laborare eum exiſtimarem , cui reſpondi æquivoca certe in ipſo apparere fænomena , quæ ad diverſas ſtatuendas ægritudines diverſorum Medicorum animos in-

du-

ducere poſſent. At cum per ſolam rheumaticam vagam affectionem explicari omnia commode poſſe mihi viderentur, ſolo rheumatiſmo vexari conſtanter aſſerui. Nam & filamenta in urinis apparentia, & mejendi difficultatem, & album ſtillicidium non latenti adhuc venereo myaſmati, ſed urethræ, & canalium in urethram deſinentium laxitati a præcedentibus gonorrhæis earumque remedijs tribuenda eſſe cenſebam. Quapropter aquam B. Virginis potandam præſcripſi, ne tamen doſis libras quinque ſuperaret. Præſcripſi præterea & balnea, & Aponenſia luta, ſed ſequenti modo. Primo mane thermalem aquam biberet, poſt tres horas coccolatam ſumeret, tum moderati caloris balneo ad ſemihoram uteretur, inde lectum peteret uſque dum ceſſaret omnino ſudor. Hora a prandio quarta lutum per quadraginta horæ minuta ſuſtineret, una die dorſo, altera artubus ſuperioribus, tertia inferioribus. Detracto luto tantum adhuc lecto ſe detineret, quantum ſatis eſſet ad excitatum calorem ſedandum. Rerum non naturalium uſum

moderatum commendavi, & ne a propoſita leni medicatione vel minimum recederet præmonui, alioqui & febres, & virium dejectiones, & alia mala exoritura, ſi thermalibus remedijs abuteretur. Per primos ſex dies monitis exacte obediens fuit, & uberrimos prudentiæ Medicæ fructus reportavit; nam copioſis ſudoribus imminuto valde extremorum œdemate, ſedato dolore, reſtituto partibus ſenſu, & articulationibus motu, reſtitutis etiam viribus, ad motus quoſcumque edendos aptus erat æger, & qui Aponum veniens non potuit ſine famulorum auxilio e curru exire, ſexta die ſolus ad Cœnobium uſque S. Danielis ſupra montem ambulavit, redijtque ſine ullo laſſitudinis ſenſu: quod iter pro media parte montuoſum duobus Italicis milliaribus æquatur.

Hæc juvamina ſatis certe fuiſſent unicuique ne ab inſtituta medicatione vel minimum recederet. Sed Angli iſtius longe alia erat cogitandi ratio; putabat enim aucta thermalium remediorum vi, tum quoad calorem, tum quoad cæteros utendi modos, promptiores, & majo-

jores ſecuturos eſſe effectus. Quare die ſeptima, inſcio me, nec minimum ſuſpicante, invitis etiam adminiſtrantibus lutum calidiſſimum ſibi circumponi juſſit a cervice uſque ad pedes. Ingenti extemplo enato totius corporis calore, & præcipue ad caput, ſudoris profluvium excitatum eſt. Ultra dimidium horæ perſtitit Angli pertinacia in tam forti, & immoderata lutatione, ſed lipothymia ſuperveniens feroci medicationi finem impoſuit. Lecto repoſitus æger ultra meridiem adhuc copioſe ſudavit toto corpore excandefactus, viribuſque omnino profligatis. In eo rerum ſtatu, deficiente appetitu vix tantum alimenti ſumere potuit, quantum ſatis eſſet ad vitam ſuſtinendam. Poſt meridiem acceſſit valida febris cum capitis dolore, & ardentiſſima ſiti. Inſomni, & gravi peracta nocte primo mane ad me miſit, ut quam citiſſime ipſum adirem. Inveni acutiſſimam febrem, cujus cauſa perſpecta, habita etiam virium ratione, ab ſanguinis emiſſionibus abſtinui, & ſolis diluentibus, refrigerantibus, & reficientibus contentus fui. Poſtero die licet minus

nus febriret æger de recurrentibus vagis rigoribus conquerebatur, & de gravi etiam ad os ſacrum dolore: De proxima aliqua ſuppuratione ſuſpicatus ſum ſtatim, & increvit magis ſuſpicio cum tertia die etiam querelæ increſcerent & de recurrentibus rigoribus, & de dolore ad os ſacrum. Dolentem partem inſpici oportere dixi: abnuit Anglus, neſcio qua de cauſa: ſed perſeverante cum rigoribus ſuppuratoria febre, auctoquo dolore die quarta patiens ipſe me rogavit, ut dolentem partem inſpicerem, vidique ad os ſacrum ſub ipſis lumborum vertebris ruberrimum tumorem, acuminatum, durum, & parvi pomi magnitudinem exæquantem. Quare ſtatim emplaſtrum ex malva, lacte, & mica panis apponi juſſi; non omiſſis refrigerantibus, diluentibus, demulcentibus, & exacta diæta. Hiſce remedijs, vel potius, ut verum fatear, incepta jam ſuppuratione imminutus eſt dolor, & febris. Die ſexta maturato probe tumore lanceola aperiendum eſſe tumorem propoſui, quod cum reſpueret Anglus, damna ab incarcerato pure derivatura expone-

re

re non omiſi. Vel enim pus in ſanguinis maſſam relatum malignam febrem producturum, vel peſſimis collectionibus viſcus aliquod infecturum, indeque inſanabiles morbos orituros; vel in ipſo tumore ſuffocatum concepta acritate vicinas partes diſſoluturum, & profundas, malaſque fiſtulas procreaturum. Hæc argumenta, quamvis non ſatis fuerint, ut ægrum a ſuo propoſito dimoverent, pavoris tamen tantum intulerunt, ut inſequenti nocte tumorem adeo comprimeret æger, & contractaret, donec diſrumperetur. Diſrupto phlegmone multum laudabilis puris effluxit. Digeſtivis inde adhibitis citiſſime ad cicatricem properabat. Sedata omni febre, & dolore, licet ulcus non integre adhuc cicatrizatum eſſet, balneorum & lutorum moderatam repetitionem laudavi, ea præcautione, ut cum lumbis apponendum eſſet lutum, tenaci prius emplaſtro tegeretur exulcerata pars. Ita poſt paucos dies & cicatrix inducta eſt, & æger ſanus, robuſtus, & alacris diſceſſit.

OBS.

# OBS. XCVII.

## *Rheumatiſmus inveteratus.*

MArcus Tripovich Dalmata ab infantia varijs rheumaticis doloribus in artubus præcipue affligebatur, qui creſcente ætate, & in maritimis itineribus adeo increverant, ut decimum ſeptimum agens ætatis annum neque ſic ſatis deambulare, neque manibus quidpiam ſatis firmiter apprehendere poſſet. Temperamento erat alioquin robuſto, & ultra ætatem prægrandi ſtatura. Dolores per intervalla recurrebant, quotidie tamen affligebatur æger, & quandoque cum extremorum tumore, & tremore, colore cutis nihil mutato. Pridie Id. Quintil. anni MDCCLVIII. ad me miſſus eſt, ut, ſi mihi videretur, Montis Ægrotorum balnea, & luta in ipſo experirer. Præmiſſo Cathartico, primis ſex diebus bis in die in balneum immittebatur ad cervicem uſque: incredibilis manabat ſudor, & cum ſatis eſſet in reliquis robuſtus, ideo balnei calor quotidie intendebatur.

tur. Septima die mercurialibus pilulis purgatum corpus, idque ſemel in hebdomada repetere non dubitavi; qua die tamen purgabatur, ab alijs remedijs prorſus ſe abſtinebat. Die octava præſcripſi, ut lutum S. Bartholamæi artubus modo, modo dorſo, & lumbis applicaretur: quoniam vero illius luti calor, etiam in proprio fonte valde tenuis eſt, juſſi ut lutum ipſum in vaſe probe clauſo immergeretur ad ſex horas in fontem Montis Ægrotorum, ſic enim hujus fontis calorem adipiſcebatur. Poſtquam per horam lutum ſuſtinuerat, & jam bene ſudaverat, ſudans adhuc in balneum deſcendebat, unde exiens ſeſe in lecto per horam, ſudore perſeverante, detinebat. Hac methodo uſque ad diem duodecimam uſus, non ſolum nihil proficere videbatur, ſed doloribus & ſæpius, & atrocius recurrentibus, recuperandæ valetudinis omni ſpe ſublata, abijſſet æger, niſi admonuiſſem ipſum ſymptomatum augmentum in horum remediorum uſu proximæ ſanationis frequenter inditium eſſe. In propoſito igitur confirmatus luto Montis Ægrotorum uti

cepit eodem prorſus modo, quo utebatur luto S. Bartholamæi, ex quo ſenſim melius ita ſe habuit, ut viceſima octava curationis die bene, & perfecte valeret in omnibus; potuit enim ea die ſex millia paſſuum continuato greſſu perficere, ſoluſque equum ſaltu aſcendere, ſine laſſitudinis ſenſu. Poſtremis quatuor diebus lutum S. Petri Montis Anioni præcedenti ſubſtitui, utpote quo maxime corroborari, & adſtringi partes exiſtimantur. His peractis ſanum, & robuſtum dimiſi.

## OBS. XCVIII.

### *Tumor ſupra Sternum.*

JOannes Aloyſius Rhodiginus ſanguineo temperamento ad ſenectutem pervenerat ea corporis conditione, viriumque robore, quibus non ſolum raro, & breviter ægrotaverat, ſed & in ſuſtinendis vitæ muneribus, negotijſque pertractandis robuſto juveni ſenex non cederet. At ex quo ſexageſimum ætatis annum attigerat de levi circa ſternum dolore conqueri ce-

perat. Principio longas habebat intermiſſiones dolor, ſed ſenſim brevioribus factis intervallis continuus eſt factus, licet levior. Dolori acceſſit tumor, qui adeo increvit, ut ejus diametros ſex pollices æquaret, profunditas unum, cutis colore naturali manente. Si manu pertractaretur tumor a ſterno, & coſtis ſolutus apparebat; ſi digitis comprimeretur imprimebatur fovea, quæ brevi evaneſcebat. In corporis functionibus nulla obſervabatur læſio, ſi levem reſpirationis difficultatem exciperes. Diſcutientia, incidentia, attenuantia, reſolventia inutiliter uſurpata ſunt. Ab hiſce ad ſuppurantia ventum eſt non meliori eventu; tumor enim eodem ſemper modo perſiſtebat. Conſilio experientiſſimi Vandellij ad Montis Ægrotorum thermas venit, ut balneorum, lutorum, & ſtillicidij vim experiretur. Quotidie mane per horam utebatur balneo; veſpere lutum illius fontis ſatis calidum ſupra tumorem ſuſtinebat item per horam; & alternis diebus ſtatim poſt luti detractionem thermale ſtillicidium ſupra pectus hac illac excipiebat ad horæ dimidium.

Multum ſudabat ſine virium deperditione. Tumor in dies mollior apparebat, & anguſtioribus limitibus. Viginti quatuor diebus perfecte reſolutus eſt tumor, & æger adeo alacris diſceſſit, ut brevi poſtea, invitis proprijs filijs, & nepotibus pulchram, & tenellam puellam uxorem duxerit. Sanus inde & robuſtus perduravit multis annis ſenex.

## O B S. IC.

*Variolarum ad genu decubitus.*

JOannes Mileſi Venetus circa duodecimum ætatis annum confluentibus variolis multum diuque vexatus, in variolarum exſiccatione dolere, & tumere circa ſiniſtrum genu cepit. Dolor tumorque ſenſim creſcebant, infeſtabant vigiliæ ſine febre, rubor aliquando apparebat in genu, cum ſplendore, & ſi digitis comprimeretur tumor, ab compreſſione reſurgebat ſtatim. Lecto ſemper detinebatur; ad minimos enim affecti cruris motus vehementiſſime increſcebat dolor. Multa remedia interna, & ex-

externa fruſtra diutius fuere uſurpata, multi quoque adhibiti ſunt Medici, & Chirurgi, inter quos non defuit Pub. Profeſſor, qui aſſereret tumorem ad ſuppurationem vergere, & præmiſſis maturantibus incidendum eſſe. Uſurpata ſunt & ſuppurantia, ſed priuſquam inciſio inſtitueretur, diſſentiente non ignobili Medico thermalia luta propoſita ſunt. Aſſidentes in tanta opinionum contrarietate ancipites hærebant & anxij; idcirco & ad me ventum eſt, ut qui plures conſimiles morbos in thermis pertractaſſem, cæteris melius determinare poſſem. Inſtituto diligenti partis morboſæ examine, aſſerui fluctuantem materiem, quæ comprimentibus digitis ſeſe offerebat, neque pus eſſe, nec quidquam ad ſuppurationem vergens, ſed gelatinoſam, ut in pluribus Ancyloſis ſolet eſſe: præterea oſſeam articuli ſubſtantiam, & præſertim rotulæ læſam eſſe dixi, tumoremque non a ſola glutinoſi humoris ſtagnatione provenire, ſed etiam, & multo magis ab oſſearum fibrarum dilatatione, earumque interſtitijs denſo glutine repletis. Reprobatis igitur & maturantium uſu, & tumo-

ris

ris inciſione ( quoniam interna attenuantia , & reſolventia longo uſu jam adhibita fuerant ) lutorum uſum comprobavi , ab quibus tumoris quidem imminutio , doloris ablatio , imperfecta motus reſtitutio , cruris firmitas ſperanda eſſent , ſed non omnimoda ſanatio ; idque non opinione , aut conjectura, ſed multiplici experientia mihi conſtare aſſerebam. Hæc menſe Majo pronuntiaveram , æſtate ad Montis Ægrotorum balnea pervenit adoleſcentulus, aliquid juvaminis a ſolo æſtivo calore jam expertus. Luto uſus eſt viginti diebus quotidie ſemel per horam fere , & ſatis calido. Licet multum ſudaret , neque corpus extenuabatur , neque vires, & appetitus imminuebantur. Tumor aliquantum imminutus erat , dolor niſi a longa deambulatione nullus , cruris affecti & emaciati bona nutritio , & major firmitas ; cæterum extendi non poterat crus contractum ; ſine machinæ ope impoſſibilis deambulatio , & elato calcaneo ſummi tantum digiti in terram defigebantur ; a deambulatione cita & magna laſſitudo , & totius corporis ſudor. Inſanatus

æger

æger thermalem medicationem repetere altero, & tertio anno voluit cum bonos, licet non deciſivos effectus experiretur. Robuſtior enim facta erat morboſa pars, imminutus tumor; deambulare poterat æger & ſine difficultate, & ſine ſubſequente laſſitudine, ſed machina indigebat, nam propter cruris contractionem claudicabat. Poſt multos annos Patavium me convenit, expoſuitque præter claudicationem, & baculi in ambulando neceſſitatem, ſe omnia ſana experiri, & facile poſſe & alacriter ſua & aliena pertractare negotia forenſia.

Ex hac hiſtoria quædam notatu digna obveniunt, quæ thermalium medicationum doctrinam illuſtrare quodammodo poſſunt. Primum quidem exoſtoſes ( ſi quæ a lue Venerea pendent excipiantur ) thermis fere numquam perfecte ſanari. 2. Sin minus thermali medela curari, imminui tamen, & prohiberi ne ulterius increſcant. 3. Dolores qui exoſtoſes concomitantur, thermis tolli poſſe, quemadmodum & fibrarum laxitatem, muſculorumque infirmitatem, & inertiam. 4. Impe-

di-

ditos motus ſin minus omnes & perfecte, at plurimos certe, & imperfecte ab thermarum uſu reſtitui. 5. Eos ipſos qui a thermalibus remedijs non probe ſanantur, & aliquod levamen experiuntur, majora adjumenta reportaturos ſi thermalem medicationem altero, & tertio anno repetant. 6. At ſi a thermalibus remedijs aut graviores evadant exoſtoſium dolores, & diuturniores, aut rubor intenſus in parte exoriatur, aut enfiſemata majora fiant, majores contractiones, cum majori motus impedimento, & ſpaſmis ſupervenientibus; tunc a thermalibus remedijs prohibendum eſſe ægrum & prudentiam Medicam ſuadere & longam experientiam evincere.

## OBS. C.

### *Ulcus antiquum.*

SIngulas Ulcerum ſanationes, quæ thermis noſtris quotannis obtinentur, exponere, idem eſſet ac nauſeam benigne legentibus excitare. Propoſitam igitur brevitatem ſectando

di-

dicere ſatis ſit, innumera fere ulcera hiſce thermalibus aquis ſanari, non ſolum prope ipſarum ſcaturigines, ſed etiam in magna ab ipſis diſtantia, dummodo tamen minerales aquæ cum neceſſarijs præcautionibus transferantur.

Venetus mercator amicus meus adhuc juvenis gallico morbo correptus fuit, quo per opportuna remedia ſanato ad multos annos bene ſemper ſe habuit. Forte fortuna crus dexterum ad ligneam tabulam alliſit, unde orta circa mediam cruris longitudinem ſupra tibiæ ſpinam contuſione, cum integumentorum excorticatione, non ſine dolore ambulare poterat. A deambulatione tumebat magis magiſque affecta pars, & acute dolebat. Paucis diebus contuſum crus ab omni prorſus motu prohibere debuit, & ipſum orizontaliter ſemper tenere. Contuſio quæ reſolvi non potuit in ſuppurationem abijt; ſuppuratio vero in longum adeo proceſſit, ut niſi poſt tres menſes non conſolidaretur ulcus. Conſolidato ulcere paulo poſt tumefieri, dolere, & rubere cepit crus eo prorſus loco, quo prius laboraverat, devictaque re-

ſolventium vi nova apparuit ſuppuratio. Blandis remedijs tractatum ulcus, dilatatis limitibus ſenſim quaquaverſum extendebatur, & diamethro tres pollices æquabat. Rotundum erat, non valde profundum, nec admodum humidum, oras habebat duras, tumentes, craſſas, humore exiguo, glutinoſo, lividique coloris irrigatas. A levioribus medicamentis ſenſim ad fortiora tranſitu facto, tandem ad cauſtica ventum eſt, quibus exaſperatum potius eſt ulcus, quam extenuatum. Ulceris igitur cujuſcumque generis remedia reſpuentis diuturnitas duplicem ſuſpicionem injecit, nimirum aut ab antiquo latente, nec probe ſubacto venereo myaſmate pendere morbum, aut a ſubjecti oſſis corruptione foveri. At de tibiæ læſione non aderant ſatis manifeſta inditia: humor enim manans, licet lividiuſculi eſſet coloris, nec tenuis erat, nec prave admodum olebat, nec argenteum ſpecillum cæruleo colore inficiebat; nec, ſi ſpecillo periculum fieret, ulla in ſubjecto oſſe ſcabrities perſentiebatur. Quare omnis medicorum ſolertia ad id unum ſe convertit,

ut

ut ægri corpus a ſuſpecto venereo viru expurgaretur. Igitur & diuturna antivenerea decocta, & mercurialia purgantia, & ex hydrargyro confecta linimenta longo tempore uſurpata ſunt, nulla meliori nota in ulcere apparente. Ne quid ex mercurialibus omitteretur, Hydrargyroſis etiam inſtituta eſt, quæ rite licet peracta, & leviter tolerata non meliorem habuit effectum. Quid aliud tentandum ſupererat niſi Thermæ? Et hæ igitur propoſitæ ſunt, & ad me venit Æger biennali ulcere.

Aquæ B. Virginis quotidianum potum, balneum, & ſtillicidium Montis Ægrotorum præſcripſi, convenientem diætam, exactumque regimen. A balnei calore nulla moleſtia inſurgebat, ſed a ſtillicidio rubebat, dolebat, & tumebat non ſolum ulcus, ſed & proximæ partes. Quæ quidem ſymptomata quamvis a me, ut proximæ ſanationis inditia haberentur ( per ea enim quidquid impurum, & ſemimortuum erat, & minimorum vaſorum extremitates præcludebat auferri poſſe exiſtimabam, indeque bonos, & ad carnes alendas idoneos ſuccos exi-

turos ) tamen ne nova inflammatio excitaretur, ulcuſque inde nimium exacerbaretur, ternis & aliquando quaternis tantum diebus ſtillicidium permiſi, neque ultra ſemihoram protractum. Moderata ſic fortis remedij vi illud obtinui, ut ulcus in dies digeſtum magis, minuſque ſordidum appareret, nec fortis inflammatio ſequeretur. Poſt duas hebdomadas nulla alteratio a ſtillicidio ſequebatur; & tunc non ſolum quotidie, ſed etiam aliquando bis in die adhibebatur. Vigeſimo quinto die ſeparata eſt ab ulcere calloſa cruſta, rubri coloris, & bonæ conſiſtentiæ apparente carne, qua naturæ & remediorum viribus brevi ulcus impletum eſt, & ante quadrageſimum diem cicatrice obductum. Sanato ſic ulcere, non omnibus numeris abſolutam eſſe medicationem cenſui; ſed curandum adhuc eſſe ut firmarentur fibræ & vaſa, ne novo materiei incurſui, aut ſtagnationi eſſent obnoxia. Id me conſequi facile poſſe credidi, ſi per aliquot dies lutum S. Petri Montis Anionis toto cruri valde calidum per horam apponeretur. Hoc

Ll 2 pe-

peracto, purgante medicamento finem curationi impoſui. Alacris alacrem amicum dimiſi firma, & conſtanti valetudine.

# MONITUM.

CÆteras quas habeo bene multas obſervationes ad pertractatos morbos pertinentes, his addendas minime exiſtimavi, ne obvia eventuum ſimilitudine, & nimia ſatietate benigne legentium animos fatigarem. In aliquibus vero morbis, & præſertim venereis conſulto ægrotantium nomina ſilentio prætermiſi, ne aut ipſorum famæ detrimentum, aut verecundiæ moleſtiam afferrem, neve deficiente in Medico reconditarum rerum ſilentio, ægrorum quoque erga Medicum fiducia deficeret, magno utrorumque damno.

# INDEX
## RERUM NOMINUM,
## ET MORBORUM.

### A

Abdominis tumor ſcirrhoſus. pag. 123
Abdominis frigiditas. 73
Abel Frat. Minor. Obſervant. Reform. Mediolanenſis. 91
Abortus in thermali medicatione. 22
Achillis tendinis dolor. 233
Adminiſtratores thermarum omnia pro libidine, & ignorantia dirigebant. 31
Aeris preſſione & ictu in muſculis frigiditas. 72
Aerem Thermarum malum eſſe falſo creditur. 82
Albaneſius Philippus Rivonienſis. 80
Alleotti Joſeph. Mutinenſis. 56
Aloyſius Jo. Rhodiginus. 258
Altimonta Franciſ. Tyrol. 116
Amauroſis cum pupillæ paralyſi. 23
Amauroſis pro cataracta judicata. 24
Ancyloſis in genu. 195. 197. 201
Ancyloſis in genu a Variolis. 260
Ancyloſis in genu equino. 203
Animi pathema apoplexiæ cauſa. 47
Ani procidentia. 97
Antonius N. N. Patavinus. 146
Apoplectica affectio a nimio coitu. 29
Apoplexia biliosa. 47
Apoplexia levis a balneorum nimio calore. 13
Aprili menſe Montis Ægrotorum balnea a Germanis multis frequentabantur. 216
Aqua Aponi in gonorrhæa virulenta. 153 156
Aqua Laſtrenſis in ophthalmia. 52
& viſus hebetudine. 83
Artritica affectio. 207
Aſthma humidum. 84
Atrophia. 118

Atro-

Atrophia, & ſemiparalyſis a vulnere in crure. 33
Aurium dolor. 53

B

BAdenſes Thermæ. 34
Badia Julia Patavina. 51
Balnea equorum. 204
Balnei calore nimio apoplexia exorta. 31
Barufius Antonius Patavinus. 231
Bathonienſes thermæ. 58
Bataggia Bartholamæus Ven. 119
Bertogliati Eliſabeth nata Comitiſſa Raſtrelli Petropolitana. 15
Bertolini Helena Patavina. 85
Bianchi Felix Patavinus. 106
Biſaglia Antonius. 195
Biſcazza Antonius Nobilis Rhodiginus. 108
Boerrhavius. Præf.
Bona Joannes A. P. P. P. 96. 212. 220.
Bovio Eliſabeth Comitiſſa Veronenſis. 222
Bonavilla Anna Patavina. 138

C

CAchexia. 1
Calidæ immerſiones paralyticis omnibus nocent. 58
Calore nimio balneorum orta apoplexia. 31
Camiſotti Nicolaus Sacerdos Adriaticus. 5
Camocinus Paulus Salodienſis. 67
Cancer. 210
Cannula lignea perforata in vaginæ procidentia. 142
Canoſſa Eliſabeth Nobilis Marchioniſſa Regienſis. 207
Cantarini Medicus. 70
Carlini Julia Vicetina. 135
Carunculæ urethræ. 74
Caſſiodorus. 182
Cauſidicus Venetus. 68
Celſus Cornelius. 89
Chemicæ vulgares analyſes non ſufficiunt ad ſtatuendas remediorum proprietates. Præf.
Chemiæ abuſus in Medicina. præf.
Chiniſotti Hieronymus Vicetinus. 14
Chordæ magnæ dolor. 233
Cicanius Paulus Ruſticus Patav. 93

Ci-

Cicutæ uſus. 124
Clark Jacobus Anglus. 180
Clavus hyſtericus. 129
Coitu lumbago exorta. 164
Coitus nimius apoplecticæ affectionis cauſa. 29
Colica recidiva. 100
Colloredo Melz Comes Nicolaus Goritienſis. 33
Coniglianus Cervus Medicus Venetus. 250
Conſilli Medicus Patavinus. 191
Continentiæ diſciplina in aquis thermalibus. 182
Coſmetica. 187
Coſſovick Georgius Dalmata. 229
Crepitus articulationis. 72
Crurum œdemata. 231
Cucurbitulæ ſcarificatæ in hemicrania. 50
Cucurbitulæ ſcarificatæ in hydrope. 113
Curti Maria Patavina. 210

D

Decubitus variolarum ad genu. 260
Deliquium a balnei uſu. 31 114
Deliquium a forti lutatione. 253
Diabetes. 101
Diarrhæa recidiva. 103
Dolor ad Sternum. 258
Dolor aurium. 53
Dolor capitis. 49
Dolor Colicus recidivus. 100
Dolor, & tumor perioſtij oſſis tibiæ. 211
Dolor femoris acutiſſimus ab externa cauſa. 217
Dolor gallicus femoris. 146
Dolor rheumaticus pulte frumenti turcici oblinitur. 245
Dyſenteria. 105

E

Elephantiaſis. 183. 222
Epicurus. 157
Eryſipelas. 186
Exoſtoſes a lue venerea non pendentes thermis fere nunquam ſanantur. 263
Exoſtoſes a Lue venerea ſanantur thermis. 159

F

Facies hippocratica. 4
Facciolatus Jacobus P.P. 243
Fauſtus a Mantua Fr. Ordinis Min.

Min. obſervant. 38
Febricula. 130
Febris a balneorum vi. 139 253
Febris lenta continua in hecti-
cam prona. 3
Febris lenta erratica. 138
Febris rheumatica. 95
Febris ſuppuratoria. 253
Femoris dolor acutiſſimus ab ex-
terna cauſa. 217
Femoris dolor gallicus. 146
Femoris dolor. 238
Fiſter Joan. Nob. Germanus. 1
Fiſtulæ ſuſpicio in dolore hæ-
morrhoidali. 109
Fluor albus cum maraſmo. 132
Fluor albus ſive gonorrhæa vera
muliebris. 134
Fluxus hepaticus. 106
Fluxus menſium immodicus. 135
Fœminarum miſera conditio. 129
Forgenſes aquæ. Præf.
Freind Joan. 129
Frigiditas abdominis. 73
Frigiditas ſcapulæ. 72
Fructus acerbi dyſenteriæ cau-
ſa. 105
Fungus. 219
Furin Antonius ruſticus Rhodigi-
nus. 63
Fuſtigationes cum urticis. 228

G

GAllicus dolor femoris. 146
Gallicus morbus a ſola na-
tura numquam ſanatur. 159
Gallus Cn. Cornel. 161 162
Garzetta Eliſabeth Veronenſis. 246
Gaudio Tereſia Veneta. 219
Genu decubitus a variolis. 260
Georgius Fr. Laicus Oliveta-
nus. 114
Gingivarum decorticatio cruen-
ta. 48
Gonorrhæa vera a gonorrhæis vi-
rulentis orta. 151
Gonorrhæa vera muliebris. 134
Gonorrhæa virulenta. 152 155
Gonorrhæa virulenta eſt inflam-
matio in ſuppurationem deſi-
nens. 154
Gordes Richardus Anglus. 84
Grigoletto Franciſcus Patavi-
nus. 118
Gummata gallica. 157
Gutta roſacea. 187

H

HÆmoptyſis. 85 88 91
Hæmorrhoidalis fluxus immodicus. 97
Hæmorrhoidales excretiones immodicæ Cachexiam faciunt. 1
Hæmorrhoides cæcæ. 108
Hæmicrania. 49
Hemiplegia. 38 42 45 47
In Hemiplegia caute adhibendæ ſunt thermæ. 45
Hepaticus fluxus. 106
Hernia inteſtinalis. 115
Herpes Eſtiomenos. 189
Herpes miliaris. 191
Horatius Flaccus. 157 169
Humeri luxationis proclivitas. 222
Hippocrates. 71 89 116 130 179
Hydrops anaſarca. 112
Hydrops Aſcites. 113 114
Hydropis ſuſpicio a menſium ſuppreſſione. 138
Hyeme utilia ſunt balnea, & luta. 215
Hypocauſti uſus in aſthmate. 84
Hypocauſti uſus in cachexia. 3
Hyppocauſti uſus in fluxu hepatico. 107
Hyppochondriorum ſatietas. 116
Hyſterica paſſio. 129
Hyſtericæ convulſiones. 85
Hyſtericus clavus. 129

I

ICterus ab hepatis obſtructione. 116
Immerſiones calidæ nocent omnibus paralyticis. 58
Impotentia virilis. 161
Inſcriptiones votivæ antiquæ. 204
Ira apoplexiæ cauſa. 47
Iſchiadicus dolor. 225
Jugularis venæ ſectio in amauroſi. 26
Junċturarum deformatio a conceptu. 10
Juvenalis. 132 156 188

L

LAſtrenſis aqua in ophtalmia. 52
Laſtrenſis aqua in viſus hebetudine. 83
Leoniſſa Comes Franciſcus Medicus Patavinus. 142
Lienteria. 118


 Li-

Lipothymia a balnei uſu. 32 114

Lithiaſis. 41 119

Lucatini Franciſcus Tyrolenſis. 49

Lucretius. 27

Lues Venerea. 68

Lumbago. 227

Lumbago a coitu. 164

Lumbago rheumatica. 229

Luta thermalia etiam in fontium diſtantia juvant. 166

Luxationis humeri proclivitas. 222

M

MAcoppe Alexander P. P. P. 25

Madius Fridericus Venetus. 53

Manuum œdemata. 16 207 249

Manuſtupratio paralyſis artuum inferiorum cauſa. 168

Maraſmus a fluore albo. 132

Marſy Legatus Germanus. 25

Martialis. 123 169

Mead Richardus. 58

Medici ex animo loquentes non ſemper fidem inveniunt. 176

Medicina nihil habet abſolutum ſed omnia reſpectiva. 237

Melz Colloredo Co. Nicolaus Goritienſis. 33

Menini Cl. Chirurgus Venetus. 10

Menſium fluxus immodicus. 135

Menſium ſuppreſſio cum hydropis ſuſpicione. 138

Mercurij ſublimati uſu paralyſis dira. 68

Metrie D. præf.

Migazzi Comes Caſpar Tridentinus. 211

Mileſi Joan. Venetus. 260

Molinellius Prof. Bononienſis. 16

Moller Valentinus Forojulienſis. 244

Molletta Dionyſius ex Caſtro Franco. 225

Montis Ægrotorum aqua in affectu hæmorrhoidali. 110
in diabete. 102

Montis Ægrotorum balnea ad fibrarum tonum reſtituendum cæteris præſtantiora a Morgagnio cenſentur.

Montis Ægrotorum balnea in uterinis morbis efficaciſſima. 133

Morgagni Jo. Baptiſta P. P. P. 78 81 180 196 218 234 240

Morgagnij Morſ. 243

Moſti Comes Clemens Ferrarienſis. 239

Mulierum miſera conditio. 129

N

NAuſea & Vomitus. 121
Nativi morbi difficilioris curationis. 81
Nephritis mentita a veſicæ paralyſi. 72
Nigri Bernardus Tyrolenſis. 100
Numiſmata antiqua prope thermas inventa. 204
Nundinæ ad thermas S. Barthol amæi. 27

O

OBeſitas excedens. 5
Obeſitatis decrementum ab uſu lutorum. 44
Œdema manuum, & pedum. 17
Œdema palpebrarum, & pedum. 106
Œdemata pedum. 144 231 249
Ophtalmia recidiva. 51
Otalgia. 53
Ovidius. 168

P

PAcini Franciſcus Tyrolenſis. 31
Pagan Lucretia Vicetina. 129
Pagliaruzzi Benedictus Caporetanus. 197
Palpebrarum œdema. 106
Paralyſis ab internis cauſis. 54 56 59
Paralyſis artuum inferiorum a manuſtupratione. 166
Paralyſis in manu. 63 67
Paralyſis poſt mercurij ſublimati uſum. 68
Paralyſis pupillæ pro cataracta accepta. 24
Paralyſis ſymptomatica cum ſcorbutica affectione. 15
Paralyſis veſicæ. 69
Paralytica veſicæ affectio nephritidem mentita. 72
Paralyticis omnibus calidæ immerſiones nocent. 58
Parma Comes Tyberius Veronenſis. 219
Paſſienſes aquæ. Præf.
Paſſio hyſterica. 129
Pedum œdemata. 144 231 249
Pelli Thomas Venetus. 42
Perniones. 233
Petrarca Franciſcus. 234
Petrus Fr. Venetus Minor. Obſerv.

ſerv. Reformat. 97
Peſſarium. 142 145
Phlegmon. 254
Pirotius Medicus Bononienſis. 16
Placentini Jacobus P. P. P. 113 226
Plank Franciſcus Bohemus. 23
Podagra recens. 237
Poppeana pinguia. 188
Potus aquoſi in maxima obeſitate ferri non potuerunt. 6
Profluvium uteri. 133
Pudendorum, & vaginæ laxitas nimia. 141
Pulmonis laxitas a ſuppurata pleuritide. 93
Pulmonis laxitas phtyſim mentita. 95
Pulmonis laxitas Aſthmatis cauſa. 84
Puls frumenti turcici rheumaticum dolorem oblinit. 245
Procidentia ani. 97
Procidentia vaginæ a partu difficili. 142
Procidentia vaginæ in virgine. 144

R

Rachitis. 10 14
Raſtrelli Eliſabeth Comitiſſa Petropolitana. 15
Recobarii aqua. 220
Religionis ſuperſtitione ruſtici in fonte S. Bartholamæi abluuntur. 27
Remondini Joſephus Baſſanenſis. 217
Rheumatica febris. 96
Rheumatici humoris ad femur decubitus. 238
Rheumaticus dolor ad ſcapulam. 244
Rheumatiſmus a partu. 246
Rheumatiſmus cum morbi gallici ſuſpicione. 248
Rheumatiſmus inveteratus. 256
Roſſetto Franciſ. ruſticus Patav. 112

S

Sanatio diſtans a medicatione. 150 176 246
Sarcocele. 170
Sarzan Franciſcus. 48
Santorniel Natalis Gallus. 95
Scarpa Antonius Forojulienſis. 93
Scapulæ frigiditas. 72
Scapulæ rheumaticus dolor. 244

Scabies. 193
Scabies celtica. 172
Scorbutica affectio cum paralyſi ſymptomatica. 15
Scorbutica diſcraſia. 48 191
Scorbutica gingivarum affectio. 16 85
Scorbuticæ diſcraſiæ aqua Montis Ægrotorum juvat. 199
Scorbutus & ſterilitas. 180
Scovolo Jacobus P. P. P. 46
Scribendi impotentia. 67
Sculembourgh Comes Georgius Germanus. 72
Seminis morboſa ejectio. 177
Semiparalyſis a vulnere. 33
Setaceum ſub occipite in amauroſi. 28
Senatus Conſulto thermæ in publicam tutelam receptæ. Præf.
Senatus Conſulto thermæ triumviris litterarijs commendatæ. Præf.
Sima ruba. 98
Sograffi Joannes P. P. 220
Stella Albertus Medicus Venet. 43
Stardiota Anna Patavina. 186
Stella Hebræus Medicus Venet. 88
Stella Franciſcus Medicus, & Chirurgus Vicetinus. 234
Sterilis matrona poſt thermalem medicationem fœcundiſſima. 23
Sterilitas & Scorbutus. 180
Sterilitas virilis. 161
Stranguria. 38 122
Sublimati mercurii uſu paralyſis. 68
Surditas adventitia. 78
Surditas a nativitate. 80
Suzzi Joſephus P. P. P. 59
Sylvaticus Benedictus. 216

T

Tachinus Jo. Patavinus. 105
Tebaldi Jo. Baptiſta Veronenſis. 54
Teneſmus. 103 105
Teſtium tumor ſcirrhoſus, 171
Theodoricus Oſtrogotorum Rex. 182
Thermalia remedia quocumque anni tempore adhiberi tuto poſſunt. 175
Thermarum Medica Hiſtoria Senatus conſulto imperata. Præf.
Thermarum Publicus Profeſſor primum creatus Senatus Conſulto. Præf.
Thermarum Scriptor hiſtoricus pri-

primum creatus Senatus Conſulto. Præf.

Thermæ etiam longe a minera adhibitæ juvant. 166 179

Thermas ſola æſtate juvare falſum eſt. 211

Tibiæ dolor & tumor. 211

Tiera Abbas Caſſinenſis. 204

Tiſſot S. A. D. 166

Tomba Jo. Baptiſta Veronenſis. 47

Tormina. 100 103 105

Treviſanus Hieronymus Nob. Patavinus Protomedicus. 14 142 173 190 200

Tribanius Antonius. 194

Tripovich Marcus Dalmata. 256

Triſſinus Comes Marcus Antonius Vicetinus. 233

Triumviri litterarij de thermarum ſtatu debent quotannis ad Senatum referre ex Senatus Conſulto. Præf.

Trobilanus Sanctus Vicetinus. 103

Trogher Leopoldus Medicus Tyrolenſis. 78

Tuba cartacea ad inſpirandos vapores thermales. 85 90

Tumor & dolor perioſtij oſſis tibiæ. 211

Tumor infimi ventris in equo. 20

Tumor in hypochondrio dextero. 117

Tumor ſcirrhoſus abdominis. 123

Tumor ſcirrhoſus teſtis. 170

Tumor ſupra ſternum. 258

V

Vaginæ & pudendorum laxitas. 141

Vaginæ procidentia a partu difficili. 142

Vaginæ procidentia in virgine. 144

Valmarana Comes Aloyſius Vicetinus. 58

Vandelli Hieronymus P. P. 16 24 109 142 259

Vapores thermales in aſthmate. 85

Vapores thermales in hæmophtyſi. 89 92

Vapores thermales in laxitate pulmonum. 97

Variolarum ad genu decubitus. 260

Variolæ confluentes ancyloſis cauſa. 197 260

Velo Antonius. 82

Venerea lues. 68

Veneta Reſpublica cæterarum ſapientiſſima. Præf.

Vergazzi Paulina Patavina. 123

Veſi-

Veſicæ paralyſis. 69
Veſicæ paralyſis nephritidem mentita. 72
Veterinaria balnea. 204
Veterinarius thermarum uſus. 204
Viſus habetudo. 51 82
Virilis impotentia. 161
Ulcera paſſim thermis ſanantur. 264
Ulcus antiquum. 264
Ungues lutorum uſu cæruleo-nigri. 21
Vomitus & nauſea. 121
Votivæ inſcriptiones. 204
Urticæ fuſtigationes. 228
Uteri profluvium. 133
Witsbourg Comes Germanus. 45

NOI

NOI

# RIFORMATORI

## DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, e Approvazione del P. *F. Franceſco Antonio Benoffi* Inquiſitor Generale del S. Offizio di Padova nel Libro intitolato, *Joſephi Mingoni Patavini P. P. Hiſtoria Medica Thermarum Patavinarum*, *ſive Obſervationum Medico-Practicarum circa Morbos iiſdem Thermis tractatos Centuria Prima*, non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giovambatiſta Penada* Stampator di Padova, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 13. Marzo 1775.

( Andrea Tron Cav. Proc. Riformator.

( Girolamo Grimani Riformator.

( Sebastian Foscarini Cav. Riformator.

*Regiſtrato in Libro a Carte 182. al Num. 225.*

*Davidde Marcheſini Segr.*

ER-

| | | ERRATA. | SIC CORRIGE. |
|---|---|---|---|
| 2 | lin. 20 | ingulum. | jugulum. |
| 4 | 3 | appetitns. | appetitus. |
| 8 | 13 | diætecis. | diæteticis. |
| 11 | 18 | cæni. | cœni. |
| 17 | 10 | fædata. | fœdata. |
| 17 | 19 | fætidi. | fœtidi. |
| 19 | 16 | cæni. | cœni. |
| 21 | 7 | nigras. | nigros. |
| 23 | 19 | virens. | vivens. |
| 24 | 1 | Biennino. | Biennio. |
| 27 | 10 | fæſtum. | feſtum. |
| 27 | 28 | *ſudare.* | *ſuadere.* |
| 28 | 15 | pænitebat. | pœnitebat. |
| 33 | 19 | lacto. | lecto. |
| 34 | 5 | malleolum. | malleolum. |
| 44 | 8 | Cælo. | Cœlo. |
| 74 | 7 | frigiditas. | frigiditatem. |
| 80 | 9 | evenctus. | eventus. |
| 88 | 14 | comprobendum. | comprobandum. |
| 111 | 4 | imbibitam. | imbutam. |
| 139 | 2 | hydopricos. | hydropicos. |
| 181 | 22 | granditatis. | graviditatis. |
| 195 | 10 | ſenguineæ. | ſanguineæ. |
| 200 | 4 | Protometicus. | Protomedicus. |